

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.  
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.  
366 K 15 [1]








Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.  
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.  
366 K 15 [1]





Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.  
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.  
366 K 15 [1]




Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.  
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.  
306 K 15 [1]




III. B. 2. B




















kw 366  
K15

# VIA LUCIS,

Vestigata & vestiganda,  
*b. e.*

Rationabilis disquisitione, quibus  
modis intellectualis Animorum LUX,  
SAPIENTIA, per omnes Omnium Hominum mentes,  
& gentes, jam tandem sub Mundi vesperam  
feliciter spargi possit.

*Libellus ante annos viginti sex in Anglia scriptus,  
nunc demum typis exscriptus & in Angliam remissus,*

*Anno salutis*  
M. DC. LXVIII.



AMSTERODAMI,

Apud CHRISTOPHORUM CUNRADUM, Typographum.  
Anno 1668.





VIA LUCIS  
Vestigata & vestiganda

*Job 38: 24.*

**Per quam viam spargitur Lux:**

*Zach. 14: 7.*

**Fiet, ut tempore Vespertino sit Lux.**

*Jes. 9: 2.*

**Populus ambulans in tenebris videbunt LUCEM  
magnam: habitantibus in regione umbræ mor-  
tis Lux splendeat.**



AMSTERODAMI,  
Apud CHRISTOPHORUM CUNYARDUM, Typographum.  
Anno 1688.



Illuminati Seculi Phosphoris,  
Nascenti reali Philosophiæ feliciter  
obstetricanti Regiæ Londinensi  
SOCIETATI,  
*Salutem, & prosperos successus!*



LLUSTRES VIRI,

Non immeritò de Via Lucis Libellus ad Vos  
Lucis ministros (quorum in haurienda è profun-  
dioribus Veritatis puteis Naturalis Philosophiæ  
luce industria, per Europam famâ celebrari in-  
cipit) mittitur. Ideò etiam, quia ibi natus ubi  
LUCEM & VERITATEM venandi promissitatus nobis campus  
Vobis cessit: juxta illud Christi, suo sensu huc adhibendum, *Alii  
laborarunt, & Vos in eorum labores introiistis*. Accipite quid  
rei sit: & quò fine hæc eò, unde venerunt, remittantur.

2. Quadraginta circiter anni sunt, ex quo cordi meo vota  
Davidicis similia innasci voluit Deus, ut clamarem, *Emitte  
LUCEM & VERITATEM tuam DEUS! ut me ducant &  
deducant in montem sanctum tuum, in tabernacula tua* (Ps. 43:  
3,) Idque occasione ruinarum Patriæ meæ, Ecclesiarum & Scho-  
larum. Cùm autem mox Bellorum flamma vicina quoque Re-  
gna, & dehinc Europam, corripere, omniaque in Christianitate  
vastitatem minarentur, non aliud magis erat solatio, quàm *anti-  
quæ de ultima Luce promissiones Dei, superaturam esse tandem  
tenebras*. Ubi si quid humanæ cooperationis requireretur, non  
aliud fore cogitabam, quàm ut Juventus è labyrinthis Mundi  
eripienda melius de omnibus (à primis usque fundamentis) in-  
formaretur. Eòque fine *condendum fore Librum aliquem uni-  
versalem, cujus ductu Mentis hominum sensim è tenebris in  
Lucem promotæ, à subingressis vagis Opinionibus in unam sim-  
plicem æternæ Veritatis viam dirigirentur*.

\* 2

3. Qua



## DEDICATIO

3. Qua de re consignatae cogitationes quaedam in Angliam delatae, typis fuerunt (subtitulo *Præluia Conatum Pansophicorum*, Oxonii primum; deinde Londini) publicatae: ego autem consilio piorum quorundam Theologorum & Episcoporum (de propagando ad Gentes Orbis Evangelio, occasione tum in Anglia nova feliciter factae sementis, piè sollicitorum) vocatus anno 1641. Comparui, consiliaque super iis rebus publicâ auctoritate agitari cepta. Sed quia incidentes per eos ipsos dies publicæ turbæ nihil consiliorum ad finem deduci patiebantur, dimissus rursus fui conditione annexâ, *Si Deus halcyonia restituerit reditum non negandi*. Discessi itaque: relicta Cogitationum in scripta relatorum parte quâdam, sub titulo *VIA LUCIS vestigata & vestiganda &c.* Sed quis nostrum castigationes divinas fore tam diuturnas sperare potuit? *Vae nobis quia peccavimus* (Thren. 5: 16.) *Vivit tamen adhuc Dominus benedicta rupes nostra, Deus salutis nostræ* (Psal. 18: 47.) *ad quem convertendi sunt universi fines Terræ, ut adorent in conspectu ejus universæ familiæ Gentium. Quoniam Jehovæ est regnum, ipse dominabitur Gentibus.* (Psal. 22: 28, 29.)

4. Ita ego tunc ex Anglia discessi: sed spes mea in Deo fixa non recesserat à me: quin dulce illud *Jeremiæ somnium* (de admirabili Ecclesiæ, ipsiusque causa Mundi, renovatione, Jer. 31: 26. & totis Capitibus 31, 32, 33.) obversaretur perpetuò, cum subserviendi hac in re bonitati Dei desiderio perpetuo. Processeruntque temporis tractu sancta hæc desideria eòusque, ut quò ulterius progrediantur vix restet, *Opere constructo septipartito: cujus cardines hîc attingi non abs re fuerit propter Vos, ad Veritatum indagacionem auctoritate publicâ jam armatos.* Ut si nostra quoque *Nova reperta* vera esse deprehenderitis, *Thesaurus thesauro junctus* (thesauros Lucis & Veritatis intelligo) reddatur locupletior.

5. Primâ parte Operis nostri toto genere novum est *SCOPUS universalis, Emendatio RERUM humanarum OMNIUM,*



V I Æ L U C I S.

NIUM, in OMNIBUS, OMNINO: quod nisi intendimus, particularia molimina semper & ubiqve in cassum fore ostenditur.

6. In secunda novum est, quod ad universalem illum scopum ostenduntur *VIAE novæ*: quæ si dantur, evidens fiat quò collimatur veniri posse, imò non veniri non posse. Dari autem illas ostenditur: *Principia nimirum omnibus ex æquo innata trium generum*, juxta requisita omnium Actionum, *SCIRE, VELLE, POSSE*. Connascuntur n. *Omni Homini omnium Sciendorum normæ*, quas *Communes Notitias* vocant: & omnium *optandorum stimuli*, quos *Communes instinctus* dicimus: & omnium *Faciendorum organa*, quæ *Communes facultates* appellare liceat. Ecce hîc novum est, *Communium instinctuum, & Communium Facultatum, classes!* Quippe hæctenus Philosophis nonnisi *de Communibus Notitiis* fermo fuit: nec tamen eas quisquam eorum in numerum & ordinem redegit, sparsim relictæ sunt, ut se cuivis Homini hac vel illa occasione ingerunt. Nos istos sapientiæ rivulos primos putavimus ad suos fontes reducendos, suasque per classes digerendos. Tentavimus ergo non solum *Notitias*, sed etiam *Instinctus & Facultates*, in Tabulaturas dispandere novo prorsus artificio: ut inde patere possit impossibile esse in his Omnisapientiæ humanæ radicibus non convenire Homines omnes.

7. Quia verò tria illa ad exhauriendam omnem Rerum (quomodocunque diffusam) varietatem sufficere, illaque ut normas ad quicquid Mundus habet applicari, & si quid usquam aberrat à superaditis Divinis normis (revelato Dei Verbo) emendari, posse deprehendimus: ausi sumus ex omnibus illis contexere *Unicum Omnisapientiæ Humanæ* (i. e. Omnium quæ homini sub cælo scire, loqui, agere datur) *syntagma*, sub *PAN-SOPHIÆ* nomine. Quæ methodo unâ perpetuâ (catenæ instar) Omnia hujus & futuri seculi, manifesta & occulta, ordine inviolabili, nusquam interrupto, ita enarret, ut nemo non attentâ mente ista lusfrans Omnia intelligere possit, assensu verò non probare non possit.



## DEDICATIO

8. Et quia tria illa, *Scire, Velle, Poffe*, fimiliter fe habere deprehendimus in Omni natura Humana, per omnes gentes, ætates, ftatus; aufi fumus conatum extendere *ad quærendas vias modosque, quibus eadem illa univerfalis Sapientia propinari poffit curvis Homini nato*; ut ne ulla ingenia inculta relinquuntur, aut à communi harmonia diffonare permittantur, eodem Panfophico lumine tineta omnia.

9. Quia denique deprehendimus unicum, fed prævalidum, ad Gentes cum lumine hoc penetrandi Obicem effe *Lingvarum multitudinem, varietatem, confufionem*: aufi fumus impedi- menti hujus amolitionem moliri, per *nova confilia* de Lingva- rum omnium meliore Cultura, & *de Polyglottia* reddenda faci- liore; una denique *Lingva prorfus nova, prorfus facili, prorfus- que rationali & Philofophica* (imò Panfophica) *Lucis vehi- culo univerfali*, condenda.

10. Quæ omnia, Omnibus optanda, fi ad eam poffibilitatem ac facilitatem jam reducta (quippe cancellis tam certis ut effectus non fequi non poffit inclufa) effe demonftratum fuerit: audebi- mus quoque tanquam in publico Mundi Concilio fententiam di- cere, *Quomodo ad datas immotas bafes ERUDITIO, RELI- GIO, POLITIA, ad optimum ftatum reduci queant, ut ceffante ubique ignorantia, dubitatione, diffidiis, difputationumque ac rixarum, & bellorum ftrepitu ac tumultu, Lux, Pax, Salus Orbi redeat, illudque à feculis fperatum illuminatum, pacatum, re- ligiofumque Seculum in confpectum prodeat.*

11. Tandem, cujus res hæc requirat curam, & imploret opem, explicatò, ut Omnes qui rebus Humanis præfunt, aut in- terfunt, defiderato à feculis Operi, & quod fe per exfertam poffibilitatis & facilitatis fuæ faciem jamjam oftentat, adhibe- ant manum, exhortari non intermittimus parte poftremâ.

12. Summa itaque propofiti noftri eft, *Hominibus osten- dere omne fuum Bonum, & infallibiles ad illud Vias; fva- dereque ut hæc amplectendo Beati fieri optent, & ftudeant,*  
Omnes.



V I Æ L U C I S.

*Omnes.* Omnes siquidem ad eandem imaginis Divinæ ideam facti, per ipsam Humanam naturam eadem, eodemque modo, *Sciunt, Volunt, Possunt; tametsi nunc* (contractâ in peccata prolapsu vertigine, dementatiqve vanis, & intricati impertinentibus) *scire se quæ sciunt, & velle quæ volunt, posseque quæ possunt, nesciant, quia non attendunt.* Postquam verò attendere incipient, suadere proponimus ut nihil temerè appetant, nihil temerè credant, nihil temerè faciant: sed tantummodò quæ Bona, Vera, processura esse, certò sciunt. Ut nemo in vanum profundat sua desideria, suos sensus, suas vires: multominus obruatur inserviendò alienis desideriis, mancipandòque alienis sensibus suos, & ligari patiendò alienâ vi facultates suas. O quam beati essent Homines, si omnia quæ se beatos facere possunt adesse sibi intelligerent! illisque ad datos fines attingendum uti scirent! nempe ut quisque suus esse, suisque bonis gaudere, velit, possit, sciat. Verissima hæc Naturæ humanæ ad imagenem Dei renovatio esset, si nemo juberetur aliquid *Velle invitus, Sentire insensatus, Agere coactus:* id est Velle, Sentire, Agere, frustra, cum destructione in se imaginis Dei.

13. *Hæc nos ita extra Angliam! Vos autem in Angliam reditis halcyoniis* (Civilis dico belli cessante tumultu) *quid?* Etiam aliquid esse actum, & quidem gloriose, instituta solemniter pro vestigandis Naturalium rerum mysteriis *Regia Londinensis Societas, publicataque tot jam admirandarum Observationum experimenta,* testantur. Maçti heroicis ausis, Viri eximii! Non invidemus, gratulamur potius & applaudimus, applausumque Humani generis pollicemur: *ubicunqve per Gentes Vos hoc agere, ut Sapientia humana, humaniqve ingenii in res dominium, non semper maneat res manca & vacillans, buccinabitur.* Et à *Vestra solertia expectari jam posse, ut Philosophia ad perfectionem deducta veras Rerum differentias, fines, media, usus, ostendat: pro assequendis, semperque jam in majus augendis, Animæ, Corporis, Fortunæque (ut vocant) bonis.* Euge! Ostendite



## D E D I C A T I O

dite Vestro exemplo verum esse, quod Illustris Verulamius Vester scripsit: *Omnia esse possible quæ ab aliquibus perfici possunt, licet non à quibusvis: & quæ à multis conjunctim, licet non ab uno: & quæ in successione seculorum, licet non eodem ævo: & denique publicâ curâ & sumptu, licet non opibus & industriâ singulorum.*

14. Agnoscent autem qui Vestra illa publicata Experimenta, nostramque hanc Lucis Viam lustrabunt, *illustre molimen Vestrum pulcherrimam esse portionem votorum hic expressorum Capite XVI. § 12. &c.* Sed & agnoscetis ipsi Vos, *Nondum id esse totum, quod Humani generis nomine optari cæptum est, & ad absolvendam Ultimi seculi Felicitatem requiritur: PLUS ULTRA tendendum esse omninò.* De quo tamen Libellus hic noster loquatur (à Cap. XIV ad XXI) ut apertius tamen aliquid moneatur locus hic, tempus, resque ipsa, requirunt.

15. Posui ego in Libelli hujus limine (Capite I.) *Totum Mundum Sapientiæ Dei Scholam esse: est enim.* Sed addendum video, *Scholam hanc sub ælestem (Academiæ cælesti subordinatam) in Classes dividendam esse tres, juxta diversa trina hic nobis data Objecta & Organa, Librosque & Magistros.* Quod dum explicare incipio, attentionem & liberale iudicium à lectoribus stipulor.

16. *Trinum Objectum nobis est, totus hic nos undique circumstans Mundus, plenus variis variarum formarum Creaturis, ceu magnus Dei Liber variorum characterum plenus.* Quos cognoscendi addita nobis organa sunt *Sensus quinque, uti notum.* Ipse itaque Mundus, quem inhabitamus, prima Hominum Schola est, quem ingreditur quisquis nascitur: ideo dicenda Schola naturalis, seu *Physica.* In qua libri & Magistri nobis sunt omnes *Creaturæ rationabiliter spectatæ, juxta illud Jobi: Interroga jumenta, & docebunt te; & Volatilia Celi, & indicabunt tibi. Loquere Terræ, & respondebit tibi; narrabuntque Pisces maris. Quis non cognoscit ex omnibus istis, manum Domini fecisse hæc?* (Job 12: 7, 8.)

17. Phy-



## VI Æ L U C I S.

17. Physicam hanc Scholam excipit alia sublimior, *Meta-physica*, à priore illa toto genere diversa. In hac n. objecta nostra, Libri & Magistri, non extra nos sunt sicut ibi, sed intra nos: ipsa videlicet *Mens nostra*, sive impressa Menti nostræ *IMAGO DEI*, *innumeris innatarum Notionum, instinctuum, Facultatumque characteribus depicta*. Quæ omni Homini (docto & indocto, sapienti & stulto, vigilantibus & dormientibus) semper aliquid dictant, docent, monent, movent, stimulant, aguntque: jam rectè, rectè normatæ; jam aberranter, exorbitare permittæ. Ad quæ cognoscendum & dijudicandum nihil sensus (externi aut interni) conferre possunt: sola *RATIO*, internum animorum lumen, seu *Oculus*.

18. Demum sequitur Schola tertia, *Hyperphysica* dicenda: ubi neque Creatura ulla, neque Homo ullus, quæquam docere potest quidquam, sed solus qui super omnia est, *DEUS*. Objecta n. quæ hîc docentur & discuntur talia sunt, quæ *nullius hominis Oculis vidit, nec Auris audivit, nec in Cor hominis ascendunt, solus tantum revelat Deus per Spiritum suum* (1 Cor. 2. v. 9, 10.) Ut quid fuerit antequam Mundus fuit; & quid erit quum Mundus non erit; aut quid nunc etiam extra Mundum sit. Item quas Deus de nobis cogitationes habeat, quid à nobis requirat, quid de voluntatem suam facientibus aut non facientibus statuat, &c. Quis enim talia ullo sensu, aut ratiocinatione ullâ, investiget? Nemo hominum. Hinc *Libri Scholæ hujus proprii sunt inspirationes, Patriarchis, Prophetis, Apostolis, factæ: & dehinc Libri divinitus inspirati, jussuque Dei in Ecclesiæ usum scripti*. Doctor autem, seu intimus cælestium Oraculorum interpres, solus Dei Spiritus est, juxta illud Petri: *Nulla Prophetia Scripturæ propriæ explanationis est* (3 Pet. 1: 20, 21.) Et Augustini: *Cathedram in Cælo habet, qui Corda docet* (Tract. 3. in 1 Joh.) Nec proinde hîc organa adæqvata sunt *Sensus*, aut *Ratio*, sed *Fides humilis*, omnia Deo credens, nihil diffidens. *Gloria inquam hîc est Rationis, & Sensuum, succumbere verbis Dei:*

\* \*

Cre-



## D E D I C A T I O

*Crederè incredibilia, cùm revelantur; Tentare impossibilia, cùm mandantur; Sperare quæ nusquam apparent, cùm promittuntur.*

19. Tres hæ subcælestes Scholæ quomodo inter se conveniant & differant, attendendum est. Conveniunt: primò, quòd omnes sint *Scholæ Dei*, ab illo solo apertæ. 2 Et quidem *apertæ Homini*, ad illum gradatim perficiendum. 3 Idque uno summo scopo, *ut in imagine sua* ( ad summum expolita ) *glorificetur Deus*. 4 Omnes sunt *pro præsentis Vita*, quam sub cælo vivimus: non pro illa futura, ubi nos ad se translatos non per umbras aut imagines, sed per seipsum, spectatamque faciem suam ( quam mortalis nemo potest videre & vivere, Ex. 33: 20. ) informabit, voluptatibusque satiabit æternis. 5 Suntque modernæ istæ *Scholæ transeundæ omnibus*: quippe Mundum ingressus quisque Mundum habet undique circa se, Se totum intra se, Deum ipsum in conscientia intima.

20. Sed & Differentia observanda est. 1 Respectu originis, in quantum trina Schola trium respicit Deum: quia Mundi Creatio Deo Patri; Mentium illuminatio Deo Filio; Cordium inspiratio Deo Spiritui S. tribuitur ( Gen. 1. 1. Joh. 1: 4, 9. 1 Cor. 2: 10, 11, 12. & 2 Pet. 1: 21. &c. ) 2 Respectu ordinis, quo transiri necesse habent, à prima inchoando semper, non à secunda vel tertia. Nec enim Infans religionem doceri potest, aut syllogismum: sed sensus obvertere rebus &c. 3. Respectu amplitudinis objectorum: ubi posterior quæque Schola objectis quidem angustior est, sed augustior. Quia Mundus innumera aspectanda, auscultanda, olfactanda, gustanda & attrectanda, offert; Homines non ita sunt multi, Deus verò unus; Homo tamen sublimior Mundo, Deus excelsior Homine. 4. Respectu Librorum & Magistrorum à quibus formamur: qui sunt in Schola prima *Res omnes nobis obversa*, in secunda *Homo ipse sibi*, in tertia *Deus per Spiritum suum*. Hinc est quod in Schola prima reddimur *intradidit*, in secunda *intradidit*, in tertia *intradidit*: h. e. *Docti à rebus, docti à nobis, docti à Deo* ( Joh. 6: 46. ) Respectu profectuum ad

per-



## VIÆ LUCIS.

*perfectionem.* Quia enim *discere, est illi rei quæ discitur assimilari*: necesse est nos benè versatos in Schola prima (Creaturarum) fieri *Creaturam benè sensatam*; in secunda Schola (Hominis,) *Creaturam creaturarum dominam & reatricem*; in tertia Schola (Dei,) *Creaturam Creatori similem, è potestate creaturarum & sui ipsius emancipatam, fonti suo Deo, beatæque in illo tranquillitati, redditam.* Nec erit quò altiùs eatur, nisi ut facto per mortem in vitam transitu gloriam nostram spectemus in æternum (1 Joh. 3. v. 1, 2, 3.) Verè igitur Schola hæc trina subcælestis *Jacobeæ illa Schola*, terram cælo jungens, erit.

21. Hæc de trina subcælesti Schola Dei sic differtata volui ad Vos, quibus nostra de Via Lucis meditata mitto, duplici fine. Nempe ut occasionem habeatis expendendi, primò, *Vos eatenus minora votis agere.* 2. *Et tamen potenter majoribus parare viam, si verè ac severè agitis quod agitis.*

22. Minora votis esse quæ agenda suscepistis, agnoscere promptum erit cum ex Libelli hujus lustratione, tum ex hoc ipso præloquio, tria ista nuntiante. 1. *Mundum materiale rudimentum esse Operum Dei, sapientiæque increatæ* (ad numeros, mensuras, & pondera, ordinantis omnia) *specimen primum.* 2. *Majus autem sapientiæ theatrum erectum esse in Homine creato*: cui ut imagini suæ (eosdem numeros, mensuras, pondera, secundum quæ facta sunt omnia, imprimens) infinitudinis characteres (ad infinita cogitandum, appetendum, conandum) impressit. 3. *Maxima tamen sapientiæ mysteria offerri spectanda in Homine lapsu corrupto & perduto, rursumque reparando.* Ubi demum omnes abyssi sapientiæ & stultitiæ, justitiæ & peccati, vitæ & mortis, salutis & perditionis æternæ, aperiuntur, in admirationem ipsis Angelis (Ephes. 3: 10. 1 Pet. 1: 12.)

23. Vos ergò Naturalium Scrutatores industrii, *cum totam subegeritis Naturam* (ut cum Salomone intelligatis constitutionem Mundi, & vim Elementorum; Principium, finem, mediumque Temporum; Solstitiorum mutationes, & varietatem Tem-



## D E D I C A T I O

pestatum; circuitum Anni, & Stellarum situs; Naturas Animantium, & animos Bestiarum, Spirituumque vires, & cogitationes Hominum; differentias Plantarum & Radicum facultates; & quicquid denique manifesti vel occulti est, Sap. 7: 17. &c. ) *tum scitote Vos Divinae sapientiae Alphabetam demum superasse.* Sive, in Sapientiae Dei Templo limen tantum attigisse; Atria ejus, cum Penetralibus, in prospectu esse demum. Atque sic in Vobis implebitur illud Ecclesiastici: *Cum absolverit homo, tunc initium est.* (Sir. 6. )

24. Scitote (inquam) Vos toto illo apparatu Vestro rudimenta Sapientiae Dei duntaxat sub manu habere, Humanæque ad festigium aliquando deducendæ sapientiae fundamenta tantum ponere: quibus si acquiescendo nihil superædificare proponitis, ridendi eritis ut in Evangelio ille qui Turrim ædificare cepit, nec absolvere perrexit (Luc. 14. ) Ridendi inquam si non hominibus (intelligere magnalia Dei nolentibus) at Deo & Angelis. Eritque opus Vestrum inversa Babylon, non Cælum versus ædificans, sed terram versus. Aut certè opus imperfectum, quale fuisset si Salomon exstructo Atrio exteriori, pro plebe, Sanctuarium pro Sacerdotibus, & Sanctum factorum pro Sacerdote summo, adicere neglexisset. Aut denique manebimus in Græcorum morbo, qui erat (Seneca teste) *Circamutias sapere.* Sensualia siquidem omnia revera minutiae sunt respectu intellectualium, & corporea respectu spiritualium, temporariaque respectu æternorum: quia illa pereunt, hæc permanent. Nonne igitur præstaret (Hieronymi exemplo) *ea discere in terris quorum scientia perseveret in calos?* Et cum Apostolo ita *Mundo uti quasi non utamur? quia figura Mundi hujus præterit* (1 Cor. 7: 31. ) Quod si tunc jam fuit, seculis inclinare incipientibus, quid non erit nunc jam, seculis decurrentibus?

25. Non ideo tamen Opus quod agitis contemno: summis potius laudibus veho, Deumque ut inditum cordibus desiderium (*Veritatem rerum naturalium venandi*) confirmet, supplex oro. Id autem ideo, quia sicut *error in concoctione prima*

1102



## V I Æ L U C I S.

non corrigitur in secunda vel tertia (Medicorum iudicio) correcto verò errore in concoctione prima, errores secundæ & tertiæ concoctionis aut præveniuntur aut corriguntur facilius: ita & errores humani prima in Schola Dei admissi si corrigantur, corrigendis secundæ ac tertiæ Scholæ erroribus in dubiè multum conferre poterunt. Quippe nunc Mundus omnia habet fucata, in Politia & Religione; opinionibus ubiqve acquiescitur pro veritate. Virtutem laudant omnes, pro virtute tamen virtutis nomina & colores, ostentare fat habent. Deum omnes habent in ore, pauci in corde: Dei loco vitulum aliquem aureum, aut simile quid phantasmate conceptum, adorantes. Ipsis etiam Reformationibus Mundanis, toties tentatis, nomina plerumqve mutantur, non res. Defenduntur tamen tanquam res seriò emendatæ, examen rigidum vix ullâ re sustinente: cæco assensu omnia excipi, insuperqve laudari, volunt, indignatione in eos mox conceptâ, si quis quidquam in dubium vocare velit. Unde Veritas à rebus humanis exulat; & qui hanc frustra quærun, vanarum opinionum & consuetudinum compedibus constricti gemunt.

26. Enim verò quia æternâ Veritas Christus promittit, *Si Veritatem cognoscetis, Veritas liberabit vos* (Joh. 8. v. 31, 32, 36.) patet sanctissimum opuseos agere, qui omnigenæ Veritati eriuendæ sedulam novant operam: æqvè in Schola sensualium ac intelligibilium, & spiritualium. Et quia Schola prima secundæ, & secunda tertiæ parat viam, etiam Veritates naturales moralibus & spiritualibus indubiè parabunt.

27. Vos igitur in *Naturalibus Veritatis Mystæ*, eja rem strenuè, agite! ne semper à vana, manca, superficiali, falsa, sine utilitate subtili, Philosophia, genus Humanum ludificetur, efficite. Pulchram nacti Spartam, pulchrè hanc ornate: severiqve rerum, & circa res opinionum, examinis exemplò Politicis & Theologis ritè præite. Ut enim rectè dixit qui dixit, *Rixosa Philosophia rixosam peperit Theologiam*: ito prorsus de Politia dicendum, **MAXIMAS**, quibus nixi Politici nunc Mundum gubernant.



## DEDICATIO

*nant, esse lubricas, totius vacillantis* (adeòque jam ruentis) *status causas verissimas*. Ostendite vos non ferendos esse amplius errores, etiam si præscriptionem longi temporis ab Adamo usque habeant: ad URIM & THUMIM, h. e. (*LUCEM & VERITATEM*) revocanda esse omnia: non Theologis tantum, sed & Politicis ipsis. (Exod. 28: 30.)

28. Severa Vestra rerum naturalium Examina tantæ sint soliditatis, nulliusque prorsus fraudis sibi conscia, ut quisquis velit Omnia Vestra non tantum nudè (quamdiu velit) spectare, sed & propriis severissimis experimentis pertentando Veritatem probare possit, nunquam aliter quam res est, & à Vobis exhibetur, reperturus. Pulcherrimo id erit exemplo, ut illi etiam qui ad gubernacula humanæ societatis in Politia, & ad gubernacula Conscientiarum in Ecclesia, sedent, similia facere non trepident: sicut non trepidarunt Apostoli, omnia sua omni humano iudicio submittere non verecundantes. I Cor. 4: 3, 4.

29. Adhuc obtestor, Vestigandæ rerum Naturalium veritati ut feliciter vacare cepistis ita pergite, in testimonium Mundo; ad obtinendum, si potest, ut majoribus etiam in rebus, salutemque Mundi concernentibus, falli ac deludi metuere incipiant. Diogenes Musicos in jus vocabat, quod concinnando ad harmoniam chordas, non etiam mores concinnarent. Christus autem ad iudicium vocabat Phariseos, qui vasorum exteriora mundabant, ipsi intus immunditiâ pleni (Matt. 23: 25.) Et vocabit Politicos, qui cum Pilato manus ab innocente sanguine lavant (Matt. 27: 24.) non autem cum Davide manus lavant in innocentia (Ps. 26: 6.) Væ stultitiæ nostræ, qui dum plerumque pro rebus fucum admittendo fallere alii alios, aut etiam Deum ipsum, quærimus, nos ipsos miserè falli non sentimus; confundendi à Veritate ipsa (quam tandem vincere ac triumphare necesse est) in æternum.

30. *Serenissime Magnæ Britanniae Rex, Legunt Nationes in Libris à Regia Londinensi Societate editis Majestatis Tuae Nomen, tanquam Fundatoris.* Legunt inquam, & qui rem intelli-



V I Æ L U C I S.

intelligunt laudant & plaudunt, bonâ spe boni successûs, si Reges missô Armorum strepitu & violentiâ, Machinationumqve Politicarum artificiis, & Pomparum vanitate, ad nudam & simplicem Veritatem ubiqve attendere incipiant. Certè enim gloriosissimi Regum Salomonis effatum perstat: *Dei Gloriam esse rerum mysteria abscondere; Regum autem gloriam abscondit a scrutari* (Prov. 25: 2.) Præivit Salomon exemplo, Deusqve in illius Regimine, Pace felicitateqve coronato, Regibus & Regnis ostendit exemplum: sicut & turbarum rursus ac infelicitatis, si quis à Sapientia ad stultitiam, & à Veritate ad vanitatem (in felici Salomonis exemplô) deflectat. Præi ergò Tu etiam, Magne Rex, Tui ævi Regibus sapientiæ exemplô, Tuosqve Naturalium Veritatum Scrutatores feliciter quod agunt agere jube.

31. Verumenimè quia nobis ad universales intentiones (promovendæ Gentium salutis) non scilicet opus est, sed Navi, quâ plena Lux, Pax, Veritas, ad omnes Orbis continentes & insulas dimittantur; non satis erit Rerum *extra nos* Scrutinia instituisse, majora etiam quærenda erunt omninò: Veritas nempe rerum *intra nos*, & Veritas regni Dei *ad nos*. Quæ si ignoramus, etiamsi mille Mundi extra nos sint, & nos intelligamus omnes, possideamusqve cum suis thesauris omnes, nihil nobis proderit, ut optimus Magister docuit, *Matt. 16: 26.* Cujus utinam audiat Negotiatoribus datum consilium! *Ut si Margaritas quærunt, bonas quærant: inventâqve unâ pretiosâ, eant, omnia vendant, hanc emant.* *Matt. 13: 45, 46.*

32. Quibus de rebus plura quidem essent dicenda, ad Sapientiæ Dei splendorem clariùs detegendum in subcælesti Schola secunda, & tertia; & quomodo res instituenda foret, ut tempora Lucis Ecclesiæ venisse, gloriamqve Dei super eam esse ortam, videndo videre queant omnes (Jes. 60: 1. &c.) Quia tamen *tenebræ adhuc operiunt terram, & caligo populos (ÿ. 2.) adhuc ira Dei conturbat Terram, ut sint populi tanquam esca ignis, nec frater fratri parcat, unus quisqve carnem brachii sui vorans*

\*\* 4 (Isa. 9:



DEDICATIO &c.

(Iſa. 9:19. &c.) *adhuc dies Domini tenebræ, & non lux* (Am. 5: 18.) *fortassis differre præſtabit donec veniat tempus, in quo ceſſante Ventograndi (ſubvertente montes, & conterente Petras) & Terræ motu, ac Igne (in quibus non eſt Dominus) audire erit ſibulum auræ lenis; ut prodeuntes pii Eliæ ad oſtium ſpeluncæ, colloquantur cum Deo ſuo de reparandis ruinis. (1 Reg. 19: 11. &c.)*

33. Vos interim, Lucis phoſphori, fulgete! *Sint ſemitæ Veſtræ quaſi Lux ſplendens, procedens & creſcens uſque ad perfectum diem!* Prov. 4: 18.

Unus ex humilibus

Viris deſideriorum,

Amſterdami,  
idibus Aprilis,  
1668.

COMENIUS ſenex,

Cujus vita defecit in doloribus,  
& anni in gemitibus. *Pſal. 32: 11.*

VIÆ



## VIÆ LUCIS

## CAPUT I.

*Mundum Sapientiæ DEI Scholam esse.*



**L**nde ordimur: quia Mundum ut nomini suo respondere, Intentionemque Creatoris sui explere quærat, hortari, illiusque rei clarè patentes vias, quas revelat DEUS, ostendere paramus.

2 *Rectè autem Mundum Scholam dici, ostendit tum res ipsa, tum revelatum nobis de eo condendo, DEI consilium; tum denique de illo ad Sapientiam erudiendo perpetua DEI cura. Schola enim quid est? Docentium & discipulorum utilia cæterum definiunt. Si rectè, Mundus ergò Schola est: quia docentium, & discipulorum, & disciplinarum, congerie constat totus.*

3 *Quicquid enim in mundo est, aut docet, aut discit, aut utrumque per vices agit: variis adinventis, & ubique usu introductis disciplinandi sese invicem, & ad sensus suos (publicos aut privatos) aliis seu ingerendi seu intradendi, comparatis mediis.*

4 *Ingrederi opificum Tabernas, Rusticorum villas, Senatorias aut Prætorias domos, Regum Palatia, Regnorum Conventus, Parentum cum liberis cohabitationes, & ubi ubi homines sunt, imò in solitudine etiam unum hominem, doceri & disci animadvertes. Neque in occupationes illas (docendi & discendi) casu venire homines, sed ad eas nasci, inde palam est: quia cuique homini innatum est sciendi, sciendaque sciscitandi, rescita rursum aliis communicandi, adeòque ad sensus suos (si quòd ille scit aut credit, aut opinatur, alii tenere idem nolint) blanditiis pertrahendi, vel si id non sufficiat, vi cogendi, desiderium.*

5 *Hinc etiam disciplinarum, h. e. variorum, hortandi, suadendi, adigendi instrumentorum, plena sunt omnia: ut Mundum non injurià disciplinæ domum dicere queas. Nec sibi natura humana alios vivendi, quàm docendi & discendi, terminos figit: quia non saturatur oculus visa, nec auris auditu (Eccl. 1.)*

6 *Quod ergò de Solone referunt, gloriari fuisse solitum, se quotidie aliquid addiscendo senem fieri, imperitè quis ad Solonem solum transferret: quia non hominis, sed humanæ naturæ, impetus ille fuit; quanquam se non æquè vividè in omnibus exerat, aut ad meliora solum (uti debebat) transferatur. Natura humana est, quæ infinitudinem illam desideriorum suorum, & capacitatis suæ impressum sibi divinitatis characterem, cò fine*

A

osten-



ostendit, ut homo in rebus finitis, ubi se sistat non inveniens ad ipsam infinitudinis abyssum, DEUM, & assurgendi occasiones, & anhelandi stimulos perpetuos, haberet. Quippe qui eo etiam fine in Mundum mittitur, ut Deum quærere, & ex operibus opificem cognoscere discat: donec veniat tempus quo se ei ipsemet, sine velo, manifestare dignabitur, de facie in faciem.

7 Docent enim Oracula sacra, *conditi Mundi non alium fuisse finem, quam ut Homini ad æternitatem ipsam præcludium esset.* Postquam enim DEO æternitatem suam inhabitanti, sibi que voluptatibus suis intra se sufficienter beato, aliquid tamen extra se producere cui Majestatem suam revelaret, placuit; placuisse simul Essentias quasdam ad Imaginem suam (h. e. Rationales, Sapientia & Immortalitatis capaces) produci: sed differentiâ duplici. Alteram simplicem, merè spiritualement, *Angelos*: quos, utpote jam perfectos, pleno numero producere, & mox circa gloriæ thronum in excelsis collocatos, spectatores faciei suæ constituere, libuit. Alteram compositissimam, carne vestitam, *Hominem*: quos proinde non simul omnes creari, sed (ad ostendendam Sapientia suæ varietatem,) per generationem multiplicari voluit. Cui rei quia tempus fuit dandum, ad mensus est aliquot annorum millia. Et quia creatura corporea futurus erat Homo, exstruxit ei habitaculum corporeum, *Mundum* hunc visibilem; instructum omnibus, quæ usibus ejus deservire poterant, ad necessitatem tam corporis quam animæ. Nempe quia à beata interim Creatoris sui visione excludendus, gradatimque ad eam elevandus fuit, placuit in conspectu ejus quædam infinitæ potentia, Sapientia, bonitatisque suæ specula (quæ sunt omnes visibiles, infinitæ quodammodo varietatis Creaturæ DEI) expandi, quarum contemplatione visibilem Majestatem pulchritudinem, suavitatemque DEI odoraretur.

8 Ex ipsa itaque Creatoris intentione *Mundus nihil est, nisi æternitatis præcludium, h. e. Schola inferior, in quam mittimur, antequam ad cælestem Academiam promoveamur.* Quam ideo Scholam suam libris quoque suis DEUS abundè instruxit: Quia enim discendum nobis hîc erat, disci autem sine Libris, aut sine Voce viva, non poterat: Ille Voce vivâ æternitati servatâ *Libris nos interea erudit.*

9 *Quorum tres dedit, omnes illos æternitatis suæ, i. e. sui ipsius ceu Archetypi, apographa, Majestatem, Potentiam, Sapientiam, & Bonitatem ejus, adeoque Voluntatem, quid à nobis fieri velit, & quid de nobis ita facientibus aut non facientibus, ut fiat decreverit, notum facientia.*



10 *Primus & maximus Liber DEI Mundus est visibilis, tot characteribus, quot in illo Creaturæ DEI visuntur, descriptus.*

11 *Secundus Liber est Homo ipse, ad Imaginem DEI conditus; cui inspiratum Divinæ vitæ spiraculum, h. e. Anima rationalis, omnium rerum mensura facta est. Quippe quæ innatis Notionibus suis omnia mensurat; Deum etiam ipsum Archetypum suum ex seipso melius quàm ex ulla re alia cognoscit: talem esse cum qualis ipsa est, aut certè qualis fieri occultis desideriiis anhelat, colligens. Quia enim quicquid est, ad principia sua naturaliter redit, Homo etiam ad DEum, & illa quæ in DEO sunt; naturali quodam desideriorum impetu fertur; & ex ipsis desideriiis suis, quid & qualis DEus sit discit. Ex. gr. Quia omnis homo vitam desiderat, mortem autem & interitum horret, infallibiliter hinc eum, ad cuius imaginem conditus est immortalem esse, & æternum, colligit. Desiderat item in vita sibi quam optimè esse, dolores & omnem miseriam sollicitè fugit: hinc ergò eum quem refert Beatum esse concludit. Optat esse sapiens & scire quàm plurima (ut tetigimus ante, & in Sapientum Mundi concertationibus videre est:) ergò hinc DEum Archetypum suum Sapientissimum esse conicit. Optat tandem esse potens, cuius imperio alia subsint, (ut ex collisionibus Monarchiarum, perpetuisque mortalium pro potentia prærogativa rixis patet:) Inde igitur Creatorem suum infinitè potentem esse ratiocinatur. Optat denique omnis Homo esse (aut certè videri) bonus, alius præ alio: unde infallibiliter Deum summè Bonum esse, sibi persvadet. Et sic consequenter plus Homo ex seipso de Creatore suo, quàm ex aliis creaturis omnibus addiscere valet. Verè igitur DEI Liber est, non ob oculos sibi, ut Magnus ille Mundi liber, sed in cor ipsum datus.*

12 *Addidit tamen DEus in manum ei Librum Tertium, veluti exterioris Mundi Libri Commentarium, interioris autem Libri, Conscientiæ, Directorium, Scripturas Sacras, quibus illic & istic occultiora quædam illustrat, omniumque rerum fines & usus veros docet.*

13 *Hoc trino in Libro DEI, omnia quæ nos homines, vel scire vel ignorare necesse est, comprehensa, & clarè omnium usui proposita sunt: quia ibi omnibus omnia necessaria, omni infallibilitate eloquitur DEus. Non est loquela, neque fermo, ubi non audiantur voces eorum &c. (Psal. 19. 3.) Omnes habent primum Librum in oculis, secundum in pectore; utinam quoque omnibus tertium manu terere, oculis lustrare, cordeque circumgestare! Utinam ex omnibus verum veræ sapientiæ lumen haurire allubescat!*

14 *Ut ne quid deesset, addidit DEus in gratiam simpliciorum, aut recens Mundum ingressorum, Doctores, librorum suorum interpretes: dum*



ut Parentes liberos suos, Ecclesiæ Pastores cætus suos, Magistratus Politici subditos suos; & denique quicumque posset quemcumque, de omnibus necessariis informarent, ordinavit: omnia eo fine, ut quod agendum est, Omnibus agant omnes.

15 Abundè igitur Scholæ Mundanæ provisum est; omninòque DEUS quod olim dixit, dicere potest: Quid est quod adhuc facere debui, & non feci? (Jes. 5. 4.)

## CAP. II.

*Scholam Mundi hominum culpâ valde confusam esse.*

**E**heu autem quòd à Fundatoris mente in tantum degeneravit hæc Mundi Schola!

2 Primum enim paucissimi cur huc mittantur attendunt! Plerique quasi ad habitandum huc venissent, ita nihil aliud quam ut hîc sint, quamdiu possunt, cogitant: æternitatis tam securi quam bruta ipsa.

3 Tum quia se in Scholam huc missos obliviscuntur, erudiri etiam non curant. Hinc est quòd multa hominum pars, si non potior, ut jumenta vitam agant, multa in ignoratione, DEI, sui, rerum omnium. Non enim in Scythia solum, vel inter Cafres, similesque à cultura desertos populos, sed in ipsa Christianitate, reperire est homines, in quibus præter figuram humani reperias nihil, quia culturâ expoliuntur nullâ.

4 Tum qui poliuntur, plerique illis tantum poliuntur quæ nihil ad principalem scopum, Beatitudinem suam in DEO quærendam & inveniendam, faciunt. Venti fervire, opes corradere, honorum fumos sectari, & qui multum præstant ingenii curiositatibus vacare, communissima sunt ipsorum etiam Literatorum studia. His finibus, hem quam angustis! imò quam vanis! terminamus omnia.

5 Etiam qui veris bonis dant operam, eum plerumque successum experiuntur quem Aptus exprimit, quum dicit; Semper discentes nunquam ad Veritatis cognitionem venientes. Ostendunt id æquè in Ecclesia atque extra illam tam crassa ubique obveniens, rerum etiam necessariarum, Ignorantia, & tam frequentes dubitationum, etiam in certis, scrupuli: & tam tenaces opinionum, etiam in incertis, imò apertè falsis persuasiones. Tandem æquè in his atque illis dissidia, lites, pugnae, bella & cædes. Toto orbe collisiones spectare est, inter Religiones, Politias, Familias, sectas, passim etiam singula capita opinionibus dissidentia. Ita è Sapientiæ Schola, stultitia

tie



riæ & furoris palæstra factus est Mundus : multaque ex parte quemadmodum Christus in Apocalypsi loquitur Synagoga Sathanz, (Apoc. 2. 9.)

6 Non desunt denique qui rixarum pertasi omnia pariter tanquam incerta, Deum etiam ipsum, abjiciunt, in extremis tenebris Lucem, in ipso stupore mentis quietem, quærentes. Quod in felix monstrum, Atheismum, passim jam vel apertè regnantem, vel occultè serpentem, quàm malè proficiat Mundana Schola, locupletem habemus testem. Quemadmodum & tantos ubiqvè Epicureorum greges, beluas ex hominibus factas.

7 Causas tanti mali si quærimus, primaria quidem ipse tenebrarum Princeps est, Satan : qui postquam excidit luce, ut sibi regnum in tenebris erigeret, hominem quoque in defectionis crimen pellexit ; perturbationumque tenebris ita involvit, ut exsolvere se non valeat. Omniscius tamen DEus, ipsos quoque homines culpæ reos peragit : tam quos in hac sua schola Doctores constituit, quàm & reliquam turbam. De Doctoribus enim populi sic expressè apud Prophetam queritur quòd nesciant docere. (Jes. 56. 11.) Et alibi. Grex perditus factus est populus meus, Pastores eorum seduxerunt eos : vel, ut alii vertunt, Pastores eorum faciunt ut aberrant (Jer. 50. 6.) Nempe quia aut non docent, aut alia quàm hominibus æternitati præparandis conveniant docent, vana, curiosa, seductoria ; aut docent frigidè ac jejunè, nihil ataxiarum loco moventes. Unde populus talibus assuetus, talibus delectatur : ut quamvis Deus alios mittat, nolint hos, sed illos : quemadmodum illa DEI querela testatur, Res stupenda & horrenda fit in terra ! Prophetæ prophetant mendacium, & sacerdotes applaudunt manibus suis, & populus meus diligit talia ! Ecquid verò fiet tandem ? (Jer. 5. 30. 31.)

8 Revera igitur tenebra operiunt terram, & caligo populos. (Jes. 60. 2.) revera homines palpant sicut cæci parietem, & quasi absque oculis atrectant : impingunt ipso meridie tanquam intempestà nocte. (Jes. 59. 10.) quia ambulant in tenebris, & nesciunt quò vadant. (Joh. 12. 35.) Adeoque impingunt perpetuò tam in res quàm in se invicem, & DEum ipsum, & sibi attrahunt confusiones varias & interitum, sicut scriptum est : Populus non intelligens conturbabitur. (Ose. 4. 14.) item : Captivus ducetur populus meus, quia non habet scientiam. (Jes. 5. 13.) Item : Excindetur populus meus, eò quòd vacat scientiâ : quia tu sprevisisti scientiam, spernam ego te quoque, inquit DEus, (Ose. 4. 6.) Tandem : Homo aberrans à via scientiæ in cætu vitæ expertium quiescit. (Prov. 21. 16.)

9 Nihil ergò salutaris generi humano optari, nihil magnificentius sapientum consiliis agitari potest, quàm si efficacem aliquam, tetras illas ignorantæ & diffidiorum tenebras humanis animis emovendi, sapientiæquæ



splendorem Mundo inferendi, reperire liceat (DEI nos jam miserantis ope) viam. Cujus rei quæ subesse possit spes visuri; *primò quid hactenus eam in rem tentatum sit, & quo eventu videamus.*

## CAP. III.

*Confusionibus humanis remedia, quàm variè quæsitæ, nullum tamen satis validum hucusque repertum.*

**N**EC Deus unquam rebus humanis, quancquam multifariam irritatus, defuit: nec homines omninò sibi ipsis.

2 Et Deus quidem primò admonitionibus variis, per miraculosè suscitata media, sive ostenta, sive homines extraordinariis donis instructis: exprobrans hominibus stoliditatem, quòd nec *Rationis Lumen*, quod in corda eorum accendit sequantur; sed temerè & brutè omnia sua agant. (*Psal. 94. 8. & 49. 12. & c.*) nec *Mundum* intueantur, ut ex operibus DEI DEum agnoscant, sive è cœli altitudine sive ex fundamentis terræ. (*Jes. 5. 12. & 40. 21, 26. & c.*) Et deniqvè quod *Documenta quæ ipsis præscripsit amplissima, in lege sua, reputent velut rem alienam* (*Osè. 8. 12.*) & quòd cum Doctores falsa docent populus id amet. (*Fer. 5. 3.*) & similibus modis.

3 Si admonitionibus nihil profici videt Deus, castigat peste, fame, bello, terræ motibus, diluviis, incendiis, aliisque horrendis modis nonnullos absorbens, ut alii timeant. Etiam olim Lingvarum & Gentium diffipatione immisâ, ne plus corrumperent alii alios obviam ibat.

4 Tandem verò post quamlibet castigationem nova aliqua submittit adminicula ad novam *Lucem*: ut dum in occisorum aut contemptorum fervorum suorum locum, alios excitat Prophetas, Apostolos, Doctores, Filium etiam ipsum Unigenitum: item, dum in locum confusarum Lingvarum donum Lingvarum immisit, & quæ plura similiter agit, malitiæ nostræ semper obviatrix, & victrix, bonitas ejus.

5 Quantum ad homines, nunquam in tantum prolapsus fuit genus humanum, quin aliqui saltem communem perditionem agnoscerent, aliosquè agnoscere docerent: de remediis etiam quantum licuit solliciti. Equidem sic existimo; si quis omnium sapientum hominum, qui inde ab exordio rerum humanarum vixerunt, posset intueri cogitationes, audire sermones, legere scripta, considerare facta, vix aliud illa fuisse reperturum, quàm morborum generis humani vestigationes, & adversus morbos remediorum tentamina varia: quancquam successu semper eatenus votis minore. Quod querele sapientum testantur, & res ipsa. Pleriqvè enim hominum quorum

rum



rum causâ cordatiores illi anguntur, gemunt, sudant, studia illorum fus-  
què dequè habent; quin imò etiam opem ferre quærentibus indignantur.

6 Testatur id Cicero verbis illis: *Corporis quidem curandi tuendiquè causâ dudum quæ sita est Ars, eademquè Deorum immortalium inventioni consecrata: Animi autem medicina, nec tam desiderata est antequam inventa; nec tam culta postquam cognita; nec tam multis grata & probata, quàm suspecta eti- am pluribus & invisâ.* Cujus stoliditatis causam mox inquirens, addit: *An quod Corporis gravitatem & dolorum animo judicamus, animi morbos cor- pore non sentimus? Unde animus cum de seipso judicat, fit ut ad ipsum quod judicat egrotet, minusque rectam de se sententiam ferat: (Tusc. Quæst. 3.)*

7 Quod verè dici, medicationemquè corruptelarum humanarum Mun- do invisam, ideoquè majori ex parte frustraneam esse, non isti soli animad- verterunt qui naturalis Luminis ductu remedia frustra tentabant, sed & illi ipsi, quos spiritu suo afflatus excitabat Deus, Patriarchæ, Prophetæ, Apo- stoli, aliiquè sancti; quin & ipse sanctus sanctorum, à perditionis baratro, in quod ruunt omnes, non revocari nisi paucissimos, quos peculiaribus viis re- trahit misericordia DEI, quærimoniis suis, satis testati sunt. *Curavimus Babylonem & non est sanata, clamat Jeremias. Quis credidit prædicationi nostræ; & brachium Domini cui revelatum est? quærit Jesaias. Perversa non possunt corrigi, & defectum non potest iniri numerus, quæritur post om- nia tentata Salomo.*

8 Ipsa deniquè Sapientia DEI: *Ecce ego mitto ad vos Prophetas & sapi- entes! Vos autem eos trucidatis & flagellatis.* Johannes denique: *Mundus totus in maligno positus est.* Manent enim per omnes hominum ordines & status, in omnibus populis & Lingvis infinitæ confusiones, prorsusquè hucusquè tenebræ operiunt terram, (ut loquitur Deus) & caligo populos: tam immedicabilia sunt mala nostra.

9 Videamus autem per species humana illa tentamina, cujusmodi fue- rint, & cur destituta successu, numero septem. *Communissimæ videntur fuisse quærimoniæ & lamenta, quibus hominum vulgo stoliditatem suam ex- probrantes, sapientiores illi confundere eos, & ad aliquam sui cognitionem per- movere quæritabant.* Hinc Diogenes in ipso meridie cum accensa lucerna, per mediam hominum turbam discursans, homines se quæritate dictabat. Hinc Heraclitus suspiriis, lachrymis, lamentisquè perpetuis, humanas stultitias perpetuò deflebat: Democritus viceversâ ad cujusvis hominis conspectum ridens, omnes vanos & irrisione dignos esse testabatur. Alii alia eodem sensu factitabant. *Sed confusiones quærelis, aut risu aut fletu (si ad remedia non veniatur) non tolli, res ipsa docuit; plerisque hominum pro-*

sto-



stoliditate suâ æqvè fletum ac risum Sapientum illorum irridentibus. *Quod & Christus verbis illis suis testatus est: Cecinimus vobis & non saltastis, lamenta vimus, & non planxistis. Matt. II. 17.*)

10 *Quæsitum est inde consiliis bonis subvenire hominibus: Unde Philosophiæ studium* (rerum fines vestigans, & ad fines media disponens:) *enatum est.* Quamquam autem ingentibus evecta fuerit laudibus Philosophia; quòd esset *Animi medicina, Vitæ dux, Virtutum indagatrix, Vitiatorum expultrix, ad Beatitudinem lux, & quæ hominem DEO parem faciat, &c.* id tamen & paucis, & parùm profuit: plerisque nec voces istas exaudientibus, nec rem intelligentibus. Præsertim cum Philosophia Gentilium, res admodum mutila esset, fundamentalium omnium, quantum ad hominem, ignara: propter tertii libri, Oraculorum DEI, defectum.

11 *Ventum inde est ad ferendas hominibus Leges, ut ex præscripto regulariter vivere discerent.* Quod ut ordini externè conservando non inidoneum est medium, ita internas tollendi ataxias vim prorsus habet nullam: quia natura humana, concreata sibi libertatis memor, constringi se legibus ægrè patitur. Hinc enim est quòd ipsa quoque Divina Lex, nedum humanæ, peccatum magis augent & iram: quia irritant, quia *Nitimur in ventum semper cupimusque negata.* (Rom. 4. 15. & 5. 13. & 7. 7, 8, 9.)

12 *Accessere in Legum violatores pœnæ:* sed non alio successu quam ut externæ violentiæ aliquantisper reprimantur. Nec enim tolli in universum possunt: quod Carceres, Cippi, Patibula, vix unquam otiosa, satis testantur.

13 *Iniverunt potentiores aliam medendi humanis discordiis rationem:* nempe ut bello integras Nationes impetentes, & subigentes, adque nutum suum redigentes, ordinem aliquem (seu in Politia seu in Religione) unum omnes colligantem, constituere quærent: sed in majori semper incommodo (ut experientia perpetua huic usque in diem docuit) quam bono aliquo. Quia innatus menti humanæ libertatis (ad quam se conditam sentit) amor usque adeò expugnari non potest: ut ubicunque, & quibuscunque modis, circumveniri se & constringi sentit, non quærare exitum, & se in libertatum non asserere, consilio aut vi, impossibile ei sit. Unde resistentiæ, reluctationes, rebellionesque necessariò consequuntur, ubicunque Regimini hominum violentiæ aliquid admiscetur.

14 *Mollior via est sectarum institutum: Ubi certa hominum multitudo, (sive Politico sive Ecclesiastico aut Philosophico in statu) in commune aliquid bonum, certis inter se initis pactis, consentiunt, & ad illud communi ope (seu quærendum, seu tutandum) consilia & conscientias jungunt.* Hic enim quia



quia voluntariè res aguntur firmiora sunt omnia, si modò in quod conspiratur non aliud reverà, quàm communis salus sit, modusque illius quærendæ legitimus. Sed quia in utroque illo plerumque caligat humana prudentia, fit ut illa etiam via ad tollendum confusiones inefficax sit: sæpius malum augeat. Fundantur enim sectæ contra sectas, obduranturque alii adversus alios eò magis. Posito verò etiam sectam aliquam ipsum verum & bonum tueri, non tamen per id communi salutis consulitur, dum à consortio Veri & Boni alii excluduntur. Excluduntur enim dum sic aliqui septo se includunt: quia exemplo illorum mox etiam alii se ab illis secludunt & separant. Atque ita Bonum communis usus esse definit peculium quorundam factum.

15 Hinc apparet, multò minus ataxias tolli si qui ataxiarum pertæsi, societatem humanam deserant, & se in eremos vel solitudines alias abdant: tibi enim eâ ratione consulunt, non in commune. Mundus manet caligine obrectus: id quod quærimus, & tanto huic malo, (tenebris publicis) remedia quærimus.

## CAP. IV.

*Confusionibus humanis tollendis, an supersit remedium? & quale id esse oporteat?*

A Deò mala nostra invaluisse ut remedio vix locus sit, & succumbant ferè omnes pro salute publica conatus, est cur indoleamus omnes: Sed an & manus remitemus omnes? Absit. Medicinam cessare non convenit, non cessante morbo; sed instare & variare juxta illud Poëtæ;

*Et quoniam variant morbi, variabimus Artes,*

*Mille mali species, mille salutis erunt.*

2 Felix quandoque Medicus in morbum declinantem incidit, qui validioribus antè remediis refractarius, lenioribus post cedit. Quis ergò scit annon nostris tam diuturnis malis tempus ipsum aliquod ferat auxilium? Certè quibusdam juvenilibus morbis ipsa senectus remedio est. Maximè si quid consilii se offerat, rem viis nondum tentatis tentandi, experiendum id est: ut ne quid intermisisse tantis in rebus videamur.

3 Solent enim Medici per ipsos etiam errores, suos & alienos, proficere: ut non succedere hâc aut illâ viâ medicationem videntes, aliis, etiam contrariis viis, tentent idem. Atque tum saluberrima sæpè reperiunt remedia, quibus desperata etiam mala expugnant.

B

4. Hoc



4 Hoc ut nobis nostro etiam in proposito sperare cum DEO liceat, libet et recogitare, *Quid illis hucusque jam humanitus tentatis viis defuisse videatur: ut illud explendi, aut etiam in contrarium mutandi, occasio sit.*

5 *Tria autem videntur desiderari.*

I *Quòd Universali malo particularia ferè quæ sita fuerint Remedia. (Quomodo nempe, huic, illi, isti, ataxiæ, hâc, illâ, istâ in Gente, Lingva, Religione, secta, subveniri possit:) non observato quòd consilia DEI ad Universalem Reformationem semper tendant.*

II *Quòd adhibeantur media violenta Naturæ humane contraria: ut est Capite præcedente Via 3, 4, 5.*

III *Aut certè debilia, ad morbum loco movendum inefficacia: ut est via 1, 2, 6, 7.*

6 Ergò si perturbationibus humanis in ordinem redigendis inveniantur, & adhibeantur *Media Universalia*, quæ ad neminem hominum ulla in Gente, Lingva, Familia penetrare non possint; & *Blanda*, quibus reluctari nemini hominum allubescat; & *Valida*, quibus resistere nemo, tametsi velit, possit; fore tum omnia expedita, aut certè quàm hæctenus expeditiora, quidnî speretur.

7 Profectò enim *Universale esse oportere quod Universos concernit, ratio ipsa dicitur.* Nam cum ulceribus totum corpus scatet, aut Phthisi, Hydrope, Febri, afflictor, non naso aut pedi emplastrum applicamus, sed indimus Medicinam corpori: unde vis ejus per omnes corporis partes se diffundens noxios undique humores pellat; vitales autem ubique potentias compedibus eâ ratione liberatas, recolligere se & vires reparare, faciat. Pariter igitur, cum totum humanæ societatis corpus laborat, frustra, reparationem à rectificatâ parte aliquâ solum speres: quia nec procedit medicatio, vicinis membris novum semper contagii virus affundentibus; nec si procedere videatur, diuturnum esse potest, cum *corpora corporibus* (& membra membris) *miscentur mortua vivis.*

8 Hinc DEUS quemadmodum ab initio omnia plenè constituit, ita corrupta ut plenè reparari possent, pleno semper apparatu media subministrat. Nam & *Homines* quotquot nascituri erant, nasci jubet, inque *Scholam* hanc inferiorem mittere pergit, & *Libros* olim datos *Universales* illos, integrè conservat omnes, & admonet variis extraordinariis mediis homines omnes, & castigat omnes, & beneficiis subinde novis allicit rursus, omnes; nolens ullos perire, sed omnes ad pænitentiam reverti. (2. Pet. 2. 9.)

9 *Libros* enim suos (ut de illo subsidio, aliquid in specie dicam) non solum sic explicatas relinquit quemadmodum ab initio fuerunt sed explicat in dies



dies apertius. Mundi quippe Liber per omnia climata & secula mundi eodem modo patet omnibus: eandem Terram, idem Cælum, eadem sydera, viderunt qui ante nos fuerunt, & qui post nos erunt boni & mali: Sed distinctius tamen observamus multa nos, quàm majores nostri; distinctiusque rursus posteri quàm nos.

10 *Similiter Notiones illæ Universales*, (primæ & innatæ, monstrosis conceptibus nondum depravatæ, ratiocinationis nostræ fundamenta divinitus posita) eadem relinquuntur, viro & feminae, puero & seni, Græco & Arabi, Christiano & Mahumetano, pio & impio: è quibus uberiores etiam indies thesauri eruuntur.

11 *Verbum denique scriptum contra omnes Mundi & inferorum machinationes incorruptum servatur, mysteriaque semper plura, piè scrutantibus detegit, communes in usus omnium*, Omnes inclamans Gentes & populos (ut Psal. 49. & alibi.) Quamquam enim Deus olim, perversitati humanæ iratus, Legem scriptam uni illi sibi dilectæ Genti solum dederat, (Psal. 147. 20.) : denuò tamen tubam vocis suæ instruens, sonare jussit ad fines usque terræ. (Rom. 10. 12.) Evangelium prædicari mandans omni creaturæ. (Matt. 28.) Quia idem Deus est Dominus omnium (Rom. 10. 12.) Quòd ergò hucusque etiam normâ illâ salutari multi destituuntur, non ex intentione DEI fit: sed quòd homines consilium DEI adversus semet ipsos spernant. (Luc. 7. 30.)

12 Naturâ suâ ut Deus omnium Deus est, ita ea quæ in salutem creaturæ suæ agit, & loquitur, communis juris & usûs sunt. *Communis autem boni desertio, aqvè ut in peculium usurpatio* (posthabito quid aliis fiat, respectu) à Diabolo & Adamo orta sunt: hinc dilacerata omnia. Diabolus enim quia se avulsum à Deo videt, avellit & divellit pariter quicquid potest. Deus contra, quia Deus est & non mutatur, (fons scil. & principium ac finis mediumque omnis Boni) omnia continet & jungit, Cælum & Terram, Angelos & Homines, Gentes omnes, Res omnes, Benedictiones omnes, Tempora omnia cum æternitate ipsa. Ens enim infinitum includit finita omnia: quia si in illo & cum illo sunt, unum erunt; sin, peribunt. Nempe quomodo ad Noachum in Arcam quicquid de omnibus terræ animalibus ingressum est, servatum est, quicquid ingressum non est, periit: ita quicquid in humanarum confusionum diluvio servari debet, in ordinem divinitus constitutum redire debet, aut peribit.

13 Ideò Deus omnia vult esse unum, in cælo & in terra: eoque etiam sine Filium misit, ut per illum & in illo, recolligeret omnia. (Col. 1. 20.) Qui reconciliatione facta per sanguinem suum, misit ad omnes Gentes, & gratiam



hanc annunciari iussit omni creaturæ, (Matt. 28.) *Qvam Domini sui voluntatem executioni mandaturi Apostoli, exierunt in omnem terram: (Rom. 10.) in id summa cura enixi, ut admonerent omnes homines, & erudirent omni sapientiâ, susterentqve omnes perfectos in Christo Jesu. (Col. 1. 27, 28, 29.)*

14 Cujus mandati & exempli postea obliti Christiani, non lucem illam communem ad alios latius diducere, sed quisque sibi majorem tribuere, inde alii adversus alios inflari, & se mutuo oppugnare aggressi sunt. Unde inter ipsos quoque primùm Charitatis, mox & fidei, flamma extincta, aut obtenebrata est, & in fumos quosdam abiit. Sed potens est Deus fumos etiam nostros reaccendere in lucem & flammam, si ad imitandum salutis nostræ ducem regressi fuerimus, qui in lucem Gentium datus, ad fines usque terræ. (Jes. 49. 6.) Illuminat omnem hominem Venientem in hunc Mundum: lucetque in tenebris etiam, tametsi tenebræ lucem illam non comprehendant. (Job. 1.) *Prorsus itaque hoc agendum est primò, ut quicquid rebus humanis remedii quæritur, Universale sit.*

15 *Quicquid autem illud futurum est, necesse erit non violentum esse, sed quantum potest blandum.* Quia violentiâ nihil profici, omnes hactenus frustrâ usurpatis coactivas vias, bella, disputationes, inquisitiones, carceres, funes, enses, rogos, testes habemus. Ad irritandum animos, non placandum; ad sectas figendum, non tollendum; ad lumen extinguendum, non augendum, comparatum est, quicquid imperiosum & impetuosum est. *Liberrimum agens Deus hominem ad imaginem sui condidit, tam fixo consilio, ut ne ipse quidem vim ei inferat.* Quicquid enim ab eo exigit, non vi exigit, sed docendo, suadendo, hortando, obtestando, præmia promittendo, aut pœnas denunciando; non ut nolentem cogat, sed ut volentem efficiat. *Hæc est summa totius Scripturæ, totiusque divinæ circa Hominem Oeconomiae.* Quod si omninò recusat obsequi homo, relinquit eum, interitum tamen ejus lugens: quod lachrymæ Christi & sanctorum ejus, toties profusæ, dolorque cordis divini toties in Scriptura expressus, testantur. Cum ergo Deus ipse hominem non ut lapidem aut truncum tractet, h. e. ex homine non-hominem faciat, cur nos rem tam iniquam, tam nihil profuturam, attentamus? Quæramus potius homines emendandi ejusmodi media, quæ admittere nemo horreat, admisisse nemo non gaudeat.

16 *Sed & necesse erit, tertiò, media illa esse Valida, sensus potenter ferientia, eoque ad animum acutè penetrantia; intellectum fortiter afficientia, Voluntatemque flecentia.* Ratio est, quia pravæ, longò usu radicatæ consuetudines nimis tenaciter hærent: evelli, nisi pollenti aliquâ virtute, nequeunt.

Christus



Christus ad subjugandum sibi Mundum Apostolos emittens, armis eos potentibus, ad destruentum omnia contraria consilia, & deprimendum omnem altitudinem extollentem se adversus Christum instruxit, ut Apostolus loquitur. (2 Cor. 10.) *Similis ergo virtutis necesse est sit Universale illud, & in se alioqui blandum & amicabile, quod Mundo tam corrupto & ad prava indurato, emolliendo & in melius emendando destinandum erit Remedium.*

C A P. V.

*Confusionum humanarum tenebris, nullum efficacius remedium dari posse, Luce aliquâ Universali.*

**A** Nimis humanis Universaliter transformandis Medium aliquod requiri *Universale, Blandum, Potens*, jam vidimus: videndum nunc, numnam tale quid reperire sit? Quam rem si indagine certâ persequimur, apparebit *aliquid Luci simile esse oportere*. In Mundo quippe nihil æquè omnibus commune, omnesque & omnia lætificans, formans, transformans, reperire est, ipsa cælesti Luce, Sole; à cujus splendore & calore nihil se abscondere potest, ut *Psal. 19.* loquitur. Nec tamen quicquam abscondere se cupit, quia Lumen ejus dulce & delectabile est oculis (*Eccles. 11. 7.*) Virtute autem ejus vivificâ, & omnia penetrante, vegetantur & conservantur omnia: adeò ut vitæ vehiculum, omniumque in toto Orbe generationum & regenerationum, dux & rex esse credatur ipse SOL.

2 Similem aliquem effectum in toto cordium humanorum Orbe sperare erit, si sapientiæ Lux ad similem aliquem splendorem deduci possit: nempe qui omnes homines illuminare, omnes errorum tenebras ab oculis depellere, omnemque fundamentalem rerum Veritatem & Bonitatem detegere sufficiat. Quod erit, *si omnia quæ Deus Libris suis exposita hominibus revelare dignatus est, in unum colligantur, talemque in ordinem redigantur, ut illa omnibus hominibus in occursum ferri, à nemine non clarè percipi ac intelligi, à nemine etiam non admitti & adamari possint.*

3 Hujusmodi Universalis Sapientiæ Lux si accendi poterit, poterit & *diffundere se per totum humani Intellectus orbem* (sicut solis fulgor quoties oritur, ab ortu usque in occasum pertingit) & *excitare hominibus Latitiam, & denique transformare Voluntates*. Si enim homines in hac eminenti luce, clarè ante se suos & rerum fines videant, mediisque ad fines bonos obtinendos infallibiliter uti fiant, quidni & utantur?

4 Nos enim homines *bona nostra tantum diligimus, quantum cognoscimus:*

B 3

quia



quia Actionum regina *Voluntas*, domesticum suum consiliarium, *Rationem*, ubique sequi sœta, quicquid ejus arbitrio bonum & utile esse aut videt, aut putat, id *Vires* ut persequantur mandat. Nec aliter potest; quia ad Boni Dei imaginem facta, amorem boni (seu veri seu simulati, si decipiatur) exuere non potest.

5 Dato ergò mentium Lumine Universali, in quo vera bona verè videant omnes; omniaque quæ sub cælo sunt cælo subordinata & subordinanda esse (nî evanescere & perire velint) clarè agnoscant, sectandi etiam vera illa bona & fugiendi opposita illis mala, verè accendetur studium.

6 Tale proinde exoriri Lumen, b quàm optandum est! Dei & hominum respectu. Dei; ne amplius tot tantaque opera ac beneficia ejus, quorum plenus est Mundus, in tam multis pereant, aut certè sine usu sint. Sed ut in omnibus sanctificetur Nomen ejus; ad omnes veniat Regnum ejus; ab omnibus in terra fiat sicut in cælo *Voluntas ejus*; & omnes ubique testes sint ejus esse Regnum & potentiam, & gloriam, in secula seculorum, Amen!

7 Hominum respectu quidnî optabile sit? ut quicumque habent oculos ad videndum, videre; quicumque aures ad audiendum audire, quicumque cor ad intelligendum, intelligere; quicumque linguam ad laudes Dei, Deum sonare, possint? atque ut nemo amplius in luce clara cæcutire, nemo in via plana errare, nemo à scopo Beatitudinis ante se fixo aberrare, desideriiisque suis ex toto excidere, possit? *Utinam totus populus Jehovæ prophetet!* inquit Moses. (Num. 11. 29.) *Utinam sapiant & intelligant novissima sua!* inquit Deus ipse (Deut. 32. 29.)

8 Non amicum ergò esse humano generi oporteat, qui talem Universalem Universalis lucis viam non optet. *Idèd forsan vota nemo culpabit: ausa temeritatis damnare proclivius est, si possibilitatis tantæ rei nulla subsit spes.* Ad hujus itaque vestigationem jam veniamus.

## C A P. VI.

*Lucis Universalis ante finem Mundi spem esse indubiam.*

Sive Dei, sive hominum naturam & opera, ut in suo processu hucusque spectantur, consideramus; sive etiam prædictionibus divinis, de Mundi ultimo ante æternitatis ingressum statu, attendimus, *Omnia nos præteritis majora & meliora sperare jubent.*

2 Primò enim *Mundi ipsius constructio & gubernatio simillima est Comœdiæ, imò est Comœdia, quam in Orbe terrarum sapientia Dei, cum filiis hominum ludic.* (Prov. 8.) Jam autem nihil magis proprium est Comœdiæ, quàm

ut



ut spectatores à principio parùm quò res tendat intelligentes, per miras turbas & perplexitates, tandem eò deducat, ut omnibus ad catastrophem sese disponentibus magis magisque & priora & præsentia, & clausulæ reservata, intellectui omnium se aperiant: Scenico artifice sic demum applausum inveniēte, si omnia perplexa lætum invenisse exitum pateat omnibus. An verò à cælesti Artifice minus quid expectare conveniat?

3 Secundò, *Tota Mundi ætas, Unius hominis ætatem representans, non potest non in summo quodam gradu tandem consistere.* Ut enim homini formatio prima, à *Membrorum* rudimentis incipit, inde *Sensus* exercitia sua nanciscuntur; mox *Ratio* rerum causas scrutatur; unde tandem purior provenit rerum *Intellectus*, defæcatissimè sub senectutem ipsam. Ita Mundo etiam artibus primum *Mechanicis*, dehinc *Sensualibus*, tum *Rationalibus*, hucusque fatis exercitato, ut se ad sapientiam puriorem & abstractam aliquando promoveat, omninò restabit: quod ut planè pateat, plenius nobis ob oculos ponamus.

4 Primò *Mundi ævo alimentariæ floruerunt Artes, Agricultura, Pecuaria, Vestiaria, Architectonica, &c.* Cùm homini Paradiso ejecto adversus nuditatis, famis, aërisque injurias, præsidia quærenda erant. Tum hominibus multiplicatis, sed per familias sparsim habitantibus, *Oeconomica prudentiæ incubuit cura.* A diluvio *Politica* cæpit sub Nimrodo: mox *bellandi ars*, circa Abrahami tempora. Inde *Literatum seculum emerfit*, sub Mose: quod ab Ægyptiis ad Phænices, Chaldæos, Persas propagatum, egregiè effloruit; sed *Magis mysteria sua in occulto ferè custodientibus, promiscuæ plebi non revelantibus.* Apud Græcos tandem cæpit publicum fieri, cùm publicis in Scholis & *Literæ & Philosophia* docerentur. Postquam verò cum Alexandri M. bellis studia ibi ferè occubuisse, cæpit apud Romanos, primùm *Eloquentia*, mox *Philosophia* coli.

5 Tum *Evangelii Prædicatio Religionis studium Orbi invexit, disputationesque ingentes* (datus enim Christus fuit in signum cui contradiceretur, Luc. 2.) excitavit, quæ in *Schismata, Sectas, Hæreses, novasque Religiones, intra & extra Ecclesiam abierunt.* Sequutum est *seculum barbarum* per aliquot ætates: sed post eversam Constantinopolin, ex aliquot Bibliothecarum scintillis, *accensum est per Italiam, Galliam, Germaniam, aliosque Europæ tractus, Lumen primò puriorum Lingvarum, mox Philosophiæ, tum & Religionis:* non tamen sine tenebrarum repugnantia & acri conflictu, rursusque in sectas scissione variâ.

6 Ubi tamen concertatione ipsâ, dum quisque à partibus suis stare Veritatem, Antiquitatis testimonio evincere nititur, eoque fine quicquid usquam repe-



reperiri potuit euestigatum est (cui rei inventa per id tempus *Typographia* valido fuit auxilio) per multa ex omnis *Antiquitatis monumentis*, *ipsisque Verbi Divini thesauris*, & *humanæ Ratiocinationis officina pulchrè eruta sunt*, quæ *Universali cuidam Luci egregrè viam straverunt*: quin imò esse ipsa jam illa *summa Lux* non nullis existimatur. At enim quia multa simul, dum à variis variè applicantur, depravata & contorta, dissensionesque non sopitæ sed auctæ sunt: *restare omninò necesse est, alium altiore gradum, in quo ipsa pura clarè tandem detecta Veritas, omnibus eandem sui obvertens faciem, & hesitationes & lites terminet.*

7 *Gradata hæc Lucis augmenta præfigurasse Deus videtur in ipsa jam lucis creatione*: Quam produxit quidem primo statim die, sed in massa quadam indigesta. In medio operum suorum, die quartâ, in plures eam globos, majores & minores diduxit; certa que ab invicem distantia, per firmamentum dislocavit. *Ultimo demum die intellectualem produxit Lumen, Animum Hominis, qui lucerna Dei dicitur.* (Prov. 20. 27.) Et reliquarum rerum creatio, eâ ferie descripta est, ut à minoribus, per majora, ad maxima; ab humilioribus, per sublimiora, ad summa; à bonis, per meliora, ad optima, processum fuerit. Unde Epiphonema illud Dei, sexies repetitum, *Et vidit Deus quod fecerat, & ecce fuit bonum!* Ultimò cum exaggeratione enunciatum est, fuisse quod fecerat *Valdè bonum.* (Gen. 1. 31.) Nec enim summè bonus Deus, nisi in rerum fine summè bono quiescere potuisset. *An ergò Deum in gubernando quod creavit, dissimilem sui fore metuimus?* Non intelligunt profectò Dei operum seriem, qui sub Mundi finem nihil nisi fæces, chaos, tenebras, & tristia quæque imaginantur, expectant, prædicunt. Quasi verò Deus hominum similis sit, qui primò vinum bonum propinant, post deterius; & non potiùs extrema servet extremis, ut unde sapientia ejus admirationis, bonitas verò laudis, nova semper inveniunt incrementa, nunquam desit.

8 Sed habent quod opponant, *Danielis vaticinium de quatuor Monarchiis; prima aurea, secunda argentea, tertia ænea, quarta demum ferrea & lutea.* Resp. Cur autem sequentia etiam non legunt de Monarchia universali, quæ Christi erit? *Quem lapis ille de monte comminuet tyrannos, qui violentiis impleverant Orbem?* (Dan. 2. 44, 45.) *Regnumque & potestas & amplitudo regnorum, sub toto celo data fuerit populo sanctorum excelsorum,* (Dan. 7. 27.) *cum Christus regnabit, non ut hactenus in medio inimicorum suorum, sed suppositis illis scabello pedum suorum,* (Psal. 110. 2. Heb. 10. 23. Cor. 15. 25, 26.) Verùm prædictiones paulò post videbimus.

9 *Methodi Synthetice natura* (quam Deus in omnibus operibus suis sequitur)



sequitur) *ultimum lucis gradum summum omninò promittit.* Est autem ejus Methodi natura hæc, ut particularia quæcunqve in summam aliquam, & summæ minores in summam majorem, tandemqve summam omnes in summam summarum, colligantur. Cùm igitur Beneficia divina, & Inventiones humanæ, quæquam sparsis occasionibus illa oblata hæc enatæ, in cumulum tamen hæcenus creverint, quidnî tandem totius cumuli fastigium speremus? Nempe quia *observationes de eadem re collectæ faciunt Regulam: & Regularum similium collectio facit Artem, aut Scientiam, aut Prudentiam: & deniqve Artium, scientiarum, collectio facit Systema (Philosophiæ, Theologiæ, &c.) quidnî ergò tandem Systema Systematum, h. e. aliqua Ars artium & Scientia scientiarum, Prudentia prudentiarum, Lumen luminum ut habeatur, sperare sit?*

10 Sperare profectò id nos jubet, illud etiam *Mentes humanas occupans, naturaliqve instinctu semper altius nitens, & quiddam omnibus illis quæ jam habet majus impotenter ambiens, discendi & sciendi desiderium, quod se cùm in omni Homine, omniscii Dei simulachro vivo, tum verò maximè in Librorum novorum tam Scriptoribus quam lectoribus manifestè prodit.* Illi enim dum in publicum scribunt (de illis loquimur qui scribunt, non qui transcribunt, actumqve inepti agunt) an non publicè per conscientiam fatentur, illa quæ jam existant non sufficere, commodiusqve aliquid omninò quærendum restare? Ideò enim & ipsi post alios (quandoqve & post seipsos, magnò sæpè incommodò suo & spiritus fatigatione ingenti) scribunt, quia rem hanc vel illam nondum, aut nondum satis aptè, traditam; meliùs autem, aut veriùs, aut faciliùs, sic vel sic tradi posse, sive confidunt sive saltem sperant, ideòqve tentant, aliorumqve judicio submitunt. Pariter qui Libris novis inhiant, sensum quendam intimum defectûs cujusdam, quem expletum vellent, detegunt. Nam si omnia jam rectè expedita esse crederent, illis omninò acquiescerent, nec novo sumptu & labore molestias sibi novas crearent.

11 Quærit itaqve Mundus, & quærendo desiderare se fatetur, plenioris Lucis plenioriam viam. Quod desiderium si nulla exsaturandi spe inditum est cordi nostro, delendum jam erit illud: *Deus & natura nihil faciunt frustra.* Quod si indelebile est, explebile est ergò desiderium non frustrà datum.

12 Scio quid hîc responderi possit: *Optimum Creatorem nostrum illa semper majorum & meliorum desideria Mentibus humanis ideò insevisse, ut mortales hîc nec oculum visu, nec aurem auditu, nec desideria ullis desiderabilibus expleri videntes, in æternitatem ipsam (ubi omnia simul sunt, ideòqve omnium plenitudo*



*tudo & finis) desideria protendere à semet ipsis quodammodo stimulentur. Veri-  
simile tamen non est, non hâc etiam Vitâ desiderii nostris uberiora semper  
ministrari pabula, quamdiu hic sumus, donec ad summum, qui hîc dari  
potest veniatur terminum: post quem nihil nisi æternitatis restet fastigium.  
Talem enim graduum plenitudinem perfectissima DEI nostri sapientia re-  
quirit omnino. Ergo quemadmodum in natura vacui impossibilitas, pul-  
cherrimis artibus inveniendis possibilitatem dedit: ita illam in animo hu-  
mano vacui fugam & explementi cujusdam desiderium perpetuum, semper  
majoribus DEO dandis, nobis quærendis & inveniendis, occasionem fore  
non vanè confidimus. Si autem hoc, quidnî ad Omniscientiam quandam  
usque? scientiam dico summè plenam, Omnium quæ hîc sub Cælo discen-  
da proponuntur, trino illo hîc nobis dato Libro exposita.*

13 Et quia Satan humano illo Omnia sciendi desiderio ab initio statim  
abusus, Hominem per curiositatis crimen præcipitavit in tenebras, easque  
perpetuè & furiosè hucusque (Deo & subministratis ab illo Lucis reparan-  
dæ mediis in opprobrium) auget: *ferine posse credemus ut Deus quoque Lu-  
men suum non ita augeat, ut non Tenebrarum principi, sed Lucis Creatori, vi-  
ctoriam & triumphos deberi universus creaturarum chorus videat?* Non in æ-  
ternitate solùm, sed hîc in ipso theatro, ubi oblectatur DEO, conficien-  
dus erit hic hostis: si DEI nostri, & Christi ejus, plenus debet esse tri-  
umphus. Quod si fiet, contrarius utique status erit Mundi ab illo, qui  
nunc est: quia quæ disturbavit Satan, in harmoniam redigi necesse erit.  
Dei enim nostri bonitas & sapientia, quicquid Satan corrumpit emendare;  
quicquid ille falsò promittit, verè creaturis suis (è potestate ejus liberatis)  
dare potest, omnipotenterque jam ab initio inchoavit. Ubi enim *Satan  
homini promittebat vitam, & deturbavit eum in mortem: Deus eâ ipsâ oc-  
casione attractam mortem commutavit in vitam æternam. Promittebat Sa-  
tan conjunctionem cum DEO, & avulsit nos à DEO; DEUS autem nos avul-  
sos eò arctiùs sibi redunivit, in æternum hypostaticè unus nobiscum factus.  
Promittebat fore nos similes DEO, scientes bonum & malum; & reddidit  
nos similes sibi, bonum reputantes malum, & malum bonum: Deus ergo  
reverà facit nos similes sibi, scientes bonum ut bonum, & malum ut malum:  
ut malum execrantes, & bono nos oblectantes, bonum sectemur, & bo-  
no fruamur in æternum. Et quia denique Satan obstinatè pergit homines se-  
ducere, perget & Deus constanter homines liberare: donec hi liberatos se, ille  
autem impudens confusum se in universum sentiant.*

14 *Quod futurum certò, dulcissimæ DEI miseratoris nostri promissiones  
jam tandem plenam nobis faciunt fidem. Prædicunt enim oracula divina fore*  
sub



sub *Mundi vesperam lucem quandam, quæ respectu Lucis prioris eatenus crepera* (quæ propter tenebrarum misturam neque dies neque nox dici meretur) καὶ ἐξοχὴν lux dicenda sit. Cujus effectus promittitur, conversio ad Ecclesiam omnium Gentium, ut *Jehova sit Rex super omnem terram Dominus unus & nomen ejus unum.* (Zach. 14. 7, 8, 9.) Quod idem apud alium Prophetam expressioribus etiam verbis prænunciatur: *Erit novissimis diebus præparatus mons domus Jehovæ in verticem aliorum montium, & elevabitur super colles, ut confluant ad eum Omnes Gentes, eantque populi multi dicentes: Venite ascendamus in montem Domini, in domum DEI Jacob, & docebit nos vias suas. Venite & ambulemus in Lumine Dei nostri.* (Jes. 2. 2, 3, 5.) Item alibi Universalissimam Gentium conversionem, sic loquitur: *Surge, illuminare Hierusalem! quia venit Lumen tuum, & gloria Domini super te orta est. Nam ecce tenebræ operiunt terram & caligo populos! super te autem orietur Dominus, & gloria ejus in te videbitur! Et ambulabunt Gentes in Lumine tuo, & Reges in splendore ortus tuis &c. Non erit tibi amplius sol per diem, nec splendor Luna illuminabit te: sed erit tibi Dominus in lucem sempiternam, & Deus tuus in gloriam tuam.* (Jes. 60. 1, 2, 3, 19, 20.) Item: *Erit Lux Lunæ sicut lux solis, lux autem solis erit septupla: quum obligaverit Dominus vulnus populi sui, & percussuram plagæ illius sanaverit.* (Jes. 30. 26.) *Cum dispersum Israël congregabit cum omnibus Gentibus & Linguis, ut venientes videant gloriam ejus, adducantque omnes fratres nostros &c.* (Jes. 66. 18, 19, 20.) *Cum prædicabitur Evangelium Regni, in toto terrarum orbe, in testimonium omnibus Gentibus, antequam veniat finis.* (Matt. 24. 14.) *Evangelium nempe æternum, quod evangelizabitur incolis Terræ, & omni Genti & tribui & Lingvæ & populo, ut omnes timeant Deum, & dent honorem ei, & adorent illum qui fecit calum & terram, & mare, & fontes aquarum.* (Apoc. 14. 6, 7.) *Cum replebitur Terra cognitione Domini sicut mare aquis opertum est,* (Jes. 11. 9.) *Cum Deus omnibus dabit cor unum, & viam unam* (Jer. 32. 39.) *Et mutabit populorum labia ut sint pura, ut omnes invocent nomen Domini, serviantque illi humero uno.* (Sophon. 3. 9.) *Cum facta fuerint omnia Mundi Regna Domini nostri, & Christi ejus* (Apoc. 11. 15.) *ut sit unum Ovile, & unus Pastor* (Joh. 10.) *Cum princeps tenebrarum Satan, ne seducere queat amplius Gentes, catenâ vinctus includetur abyssò* (Apoc. 20.) *Et quæ plura eum in sensum de glorioso Ecclesiæ in terris adhuc statu, passim prædicat Scriptura.*

15 At verò talem Mundi & Ecclesiæ statum, talemque Omnes ad se convertentem Lucis splendorem, ligatamque Principis tenebrarum potestatem, nondum videmus. Superest igitur ut veniat: quia impleri ad apicem quæ-



cunqve prædeterminata sunt consilio DEI, & prænunciata ore DEI, necesse est.

## CAP. VII.

*Lucis Universalis tempora si appropinquare credimus, Vias quoque ejus scrutari tenemur.*

**T**Antam itaqve Lucem tantas post tenebras excitare solius est illius, qui ut in Mundi principio Lucem externam è tenebris splendescere jussit, ita sub Mundi finem lucem notitiæ, gloriæ DEI, in facie Jesu Christi splendere facit (2 Cor. 4. 6.) Nihilominus tamen *filius lucis non indignam esse rem, si & ipsi Lucis illius exortum votis ac moliminibus suis volvant, viasque & modos ejus omni possibili ratione scrutentur, ostendendum nunc est.* Id autem eò fine, ut si non prohiberi nos talibus ausis conscientiis nostris patuerit, rem tantò confidentius aggrediamur: ministerialem eâ re operam commodaturi DEO, si forsân eâ uti, viisque quas videre dabit Sapientia ejus, omnipotentia suâ explanatis, *Lucem illam ultimam eò celerius nobis exoriri placeat.*

2. Licere autem nobis salvâ conscientia, imò per conscientiam nos teneri, venturæ lucis scrutari vias, hæc nos confirmet.

3. *Quicquid boni optare & à Deo petere Christianis licet, id etiam quærere licet:* quia idem ille qui dixit *Petite*, dixit etiam *Pulsate*, & *Quærite* (Matt. 7. 7.) Non ergò voluntas DEI est, ut dum bona desiderata ab illo petimus, aut etiam promissa jam expectamus, otiosi vel petamus, vel expectemus: sed ut faciamus simul quod faciendum est ad contestandum serîò nos petere, serîò pulsare, serîò expectare, i. e. obviare DEO, & ad accipiendum ferentis dona manum extendere. Aliàs tentare diceremur Deum, si conjungenda divellamus, h. e. petendo non simul quæramus & pulsemus: exemplis res patefiat. Orare nos Dominus noster docuit: *Pater sanctificetur nomen tuum.* At verò si quis tantùm id orare, non verò etiam simul ipse sanctificare nomen DEI, utque alii sanctificent omni possibili ratione provide velit, illudere dicetur DEO. Ita dum orare jubemur, *Adveniat Regnum tuum;* quærere simul ipsi jubemur regnum DEI. (Matt. 6. 33.) Dum oramus, *Fiat voluntas tua;* non hoc ut eam insciis nobis, in nobis faciat, intelligimus, sed ut nobis voluntatem det faciendi omnem voluntatem suam: quod & anniti tam serîò tenemur, quàm serîò id oramus. Dum dicimus, *Panem nostrum da nobis hodie;* non sensus est ut otiosi, dum nobis cælitùs panis de-



demittatur, expectemus; sed ut dum unusquisque labore suo panem quaerit, eoque in sudore vultus sui vescitur, Deus benedictionem adjiciat. Ita dum oramus; *Remitte nobis debita nostra*: simul nos obligamus non admittere debita; aut si id fragilitate praecipitatis contingat mox remittere, & ad non peccandi propositum redire. Dum dicimus; *Ne inducas nos in tentationem*: eò ipso nos non praecipitare in tentationem, & non tentare Deum, obstringimus. Tandem cum dicimus, *Libera nos à malo*: simul ipsi malum fugere, & ne in illud incidamus cavere, docemur & obstringimur. Quidnè ergò pariter dum superventu desiderati illius illuminati seculi, rerum prolapsarum emendationem speramus, & à Deo petimus, ad promovendum illud simul nos obstringi intelligamus?

4 *Præterea quaecumque agere licet, eorundem simul rationes quomodo fiant intelligere, & ut intelligantur scrutari, licet.* Quia DEUS quemadmodum irrationale nihil nobis mandat, ita irrationaliter nos aliquid operari non postulat, imò non vult. Atqui omnium eorum, quæ nunc figillatim cuique agenda sunt, rationes scrutari ac intelligere non prohiberi nos, certum est. Certum ergò etiam nos junctorum rationes intelligere, non prohiberi. Ex. gr. *jam nunc quisque quemque vera & bona docere, falsa & prava dedocere, illiusque rei occasiones certas nosse, tenemur.* Quid ergò prohibet quaerere modum, quò omnes, omnibus, omni occasione, vera & bona demonstrare, à falsis & pravis potenter deterrere, valeamus? *Tenemur jam nunc Christiani, quisque profè, Christi regnum ampliare, Diaboli destruere*: quidnè ergò & viam quaerere, quomodo ad idem nobiscum agendum persuadeamus omnes? *Tenemur seclari Pacem cum omnibus*: quidnè ergò & aliis monstrare, omnes & omnibus si possimus, Pacis vias? Atque *si Veritati è tenebris eruendæ, vel à contradictionibus propugnandæ, hætenus liberis ingeniis vacare licuit*; quidnè veritati jam erutæ ac defensæ per omnia etiam diffundendæ vacare liceat? *Quod si bona Pace DEI* (qui veritas est, & à nemine Veritatem ignorari vult) *licet*: quidnè quoque Veritatem sic omnibus in conspectum ponendi quaerere vias? Pendent illa ab invicem, nec divelli possunt.

5 Tandem, *Rerum bonarum divinitus subministratas Occasiones bonas in timore DEI sequi licitum semper fuit, Sapiensque proprium est, juxta illud: Da Sapienti occasionem & addetur ei Sapiencia* (Prov. 9. 9.) Insipientes igitur nos, si augendi eam occasiones, quas offert DEI bonitas, animadvertere, intelligere, persequi neglexerimus. Dat enim videre quod futurum est: & quomodo futurum sit ut intelligamus, detectis Lucis viis detegere incipit. *Sequenda igitur sunt vestigia DEI quocumque præit securè*: & quomodo emicantes undecumque Lucis radii coire possint in unum, cogitandum:



dum: bonâ Patris Luminum gratiâ, qui quoties Faces accendit non ideò accendit ut sub modio abscondantur, sed ut exponantur candelabro, serviantque omnibus qui in domo sunt. Opus ergò DEO amicum agit, quisquis in domo DEI lumina accendendi & depurandi munus obit: quantò plura & majora tantò magis.

6 *Confidenter igitur opus Deo gratum, & Mundo salutare aggrediendum est: neque curandi eorum latratus, qui insolita primo aspectu statim damnare sventi, hic etiam proculdubiò dicent: Vosne igitur expectabat Sapientia? Respondendum enim est: Illa semper expectat, à principio ad finem (Prov. 1. 20. & alibi.) Sed nos tardi: utinam verò vel jam tandem, post explicatas errorum quaquâ se diffundere potuerunt ambages, ex omnibus aberrationum formis non errandi amplius certas nobis colligamus normas.*

7 Si dicant: *Humanæne artis erit, Veritatis radios ad illuminandum & convertendum Corda stringere?* Resp. Patris Luminum folius opus est corda illuminare: sed an ideò ut miraculosè id fiat expectandum? Non verò simul media quæ offert amplectenda, tentanda, urgenda? *Scimus industriam humanam sine Deo utique vanam esse: non autem etiam cum ancillatur Deo. Perpetuâ quippe operum Dei praxi docti fumus, internæ operationi suæ externa præmittere media solere Deum; sibi què quò venire ipse parat, per emissarios suos parare viam.*

8 Nihil ergò restat nisi ut operam suam nemo, quâcunque in re sibi aliquid publicè profuturum instillari sentit, Deo neget. Eòque fine nos jam quoque Patri luminum adversus invisas illi tenebras, navaturi operam, *Lucis naturam vestigare aggrediemur: ut Lucis vias non aliunde quàm ex ipsis Lucis viis discendi occasio nobis sit.*

## CAP. VIII.

*Lux quid, & quotuplex? Tenebræ item Luci oppositæ quid, & quotuplices?*

**L**ux generaliter considerata *Splendor est, per res sese diffundens, easque manifestans ac detegens: Ut rerum Formæ & Situs & Motus, & ab invicem distantia, ad eòque ad invicem proportionales, spectantibus pateant.*

2 Tenebræ contrà caligo sunt, res involvens ac obtegens: ut quid quale, quantumve sit quod nos circumstat, multò minus quomodò res ipsæ ad se invicem se habeant, videri non possit.

3 Unde



3 Unde patet duo hæc opposita esse, contrariasque habere & proprietates & actiones. Lux nempe se & secum res, extrovertit, explicat, aperit, in conspectu sistit: Tenebræ rursus se & secum res introvertunt, complicant, claudunt, in latebras abdunt. Hinc à Luce venit cognitio rerum; à Tenebris ignorantio rerum. Lux rebus animisque præstat amœnitatem, & gaudium; Tenebræ tristitiam & tædium. Lux denique habet vitæ faciem, tenebræ mortis. Unde Scriptura: Dulce est Lumen, & delectabile oculis videre solem. (Eccles. II. 7.)

4 Sunt autem Lux & Tenebræ non unius generis. Divinis oraculis triplex potissimum Lux celebratur, totidem Tenebrarum genere fædata, an illustrata: Lux nempe *Æterna, Externa, & Interna.*

5 Lux æterna est inaccessibleis ille humanis sensibus fulgor, quem Deus inhabitans, (I Tim. 6. 16.) atque in illo tum se ipsum omnis beatitudinis fontem, tum omnium quæ extra se sunt & esse possunt, rationes omnes contemplans, Vitâ & beatitudine, perfruitur ab æterno in æternum. Cujus Lucis participes sunt Creaturæ Creatoris consortio donatæ, beatâ visione DEum contemplantes, & in illo gaudiorum satietate perfruentes sine fine. Huic æternæ Luci oppositæ sunt tenebræ æternæ: quibus in Deo Lucis fonte locus nullus: (DEus enim lux est, & tenebræ in illo nullæ sunt, I Joh. I. 5.) Sed in creaturis Creatoris consortio destinatis, si à Creatoris sui conspectu excludantur, ut nullum beatæ ejus lucis radium, nullam scintillulam videant in æternum; quæ horrorem a igorumque æternorum abyssus est: (Psal. 49. 20. Matt. 25. 30.)

6 Lux externa est splendor ille corporeis oculis perceptibilis, quo DEus visibile hoc suum, corporei Mundi amphitheatrum collustravit. Cujus vehiculum Sydera cæli sunt, SOL præsertim. Quas faces antequam Creator accendit, nihil erat præter *Tobu vabohu*, abyssus vasta & manis, vitâ, motu, formisque omnibus destituta. Sed & nunc si quô Lux illa non penetrat, atræ tenebræ involvunt omnia: ut profunda Terræ viscera, noctuque etiam exteriorem Terræ superficiem: ubi amœnitas rebus omnibus aufertur.

7 Lux denique interna, est in Creaturæ rationalis mente accensus Splendor, eam collustrans & in viis suis dirigens. Quæ Lux iterum triplex est, trina hominis penetralia irradians, *Intellectum, Voluntatem, Affectum.*

8 Lux in Intellectu est rationabilis rerum notitia, quâ homo rerum Veritatem persequendo, earumque rationes intimas contemplando, jucundè animum oblectat. Quæ Lux cum fulgida est, *Sapientia dicitur: vera scilicet eorum quæ sunt notitiæ, prudensque & salutaris omnium usus.* Atque huic Luci oppositæ tenebræ sunt *Ignoratio rerum: tenebræ verè tenebræ, à quibus mentis*



mentis torpor & stupor. Aut si se illa innato impetu huc vel illuc agitans, nihilominus promovere aliquò instituit, non solùm perpetuæ ad offendicula allisiones, sed & in scrobes ac præcipitia quævis, prolapsiones ac ruinæ, demumque interitus.

9 *Secundus internæ Lucis gradus in Voluntate est: quâ homo rerum bonitatem persequendo, ejusque suavitates degustando, sanctis & puris tantummodò se oblectat. Cui luci oppositæ tenebræ sunt mentis impuritas, quâ polluti homines filii tenebrarum in Scriptura dicuntur: quia operibus tenebrarum delectantur.*

10 *Tertius interioris Lucis gradus est in Conscientia, seu Affectu; serenitas scilicet & Lætitia cordis à sensu cognita Veritatis, & participata sanctitatis, orta. De qua Scriptura: Lux exoritur justo, & Lætitia rectis corde. (Psal. 97. 11.) Oppositæ huic Luci tenebræ, sunt angor in mente sibi falsitatis & malitiæ conscia: qui angor æternarum infernalium tenebrarum præludium est.*

11 *Has animi tenebras omnes ut mortales nosse & præcavere doceamus, Intellectualis Lucis vias imprimis investigabimus: quia si hæc pura & fulgida, voluntatiqve faces rectè præferens est, Voluntatem quoque Lucis sequacem facit, Affectusque serenat. Juxta illud Christi: Lucerna corporis tui oculus tuus est: si oculus tuus simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit. (Luc. 11. 34.)*

12 *Intellectualis autem Lucis vias scrutabimur, externæ sensus incurrentis, Lucis (ad quam interior illa proportionatè se habet) ductu: æternâ Luce, utpote interim nobis inaccessâ, extra considerationem præsentem relictâ.*

13 *Interim ex hoc capite Axiomata notentur:*

I. *Ut Mundus major suâ visibili Luce à Patre Luminum instructus est, ita & minor Mundus, Homo, suâ.*

II. *Ut Lux mundi suas sibi oppositas habet tenebras; ita & Lux mentis suas.*

III. *Ut Lux mundi inter omnia omnium sensuum objecta eminent, ita Lux mentis inter omnes reliquas animi dotes. Ut enim sine Luce mundi externa mundi decor nullus esset, ita sine Luce mentis nullus intelligeretur: tantaque opera DEI sine teste essent. Tolle de Mundo Lucem, calorem sustulisti, & cum calore motum, & cum motu omnia quæ motu fiunt; Generationem puta rerum, & quæ ab hac provenit formarum varietatem & vitam. Ita si de mente intellectum tollas, mentem ipsam sustulisti; quia eam rerum imaginibus formisque vacuam effecisti. Si denique Conscientiam bonam, & cordis gaudia tollas, nihil præter teterrimum confusionum chaos videbis reliquum.*

C A P.



## CAP. IX.

*Lucis & Tenebrarum Lucta perpetua, incrementaque & decrementa pervices, ad Lucis usque victoriam & triumphum.*

**L**ux & Tenebræ quia sibi opposita sunt, & oppositè in se agunt, fieri non potest quin sese mutuo oppugnent; quanquam fortiùs agens prævaleat semper inferiori, nempe Lux tenebris. *Lux enim Positivum quid est, actiones veras & reales exserens, vimque suam potenter diffundens*: Tenebræ in se nihil nisi Lucis privatio sunt. Hæc tamen privatio quia Entis larvam habet, Entis quoque imitatur quantum potest naturam: h. e. seipsam amat, tuetur, defendit, conservat & propugnat, contrariumque suum odit & fugit, aut si fugere in totum non potest, ei obluçtatur, sui que mixturâ Lucis obscurat fulgorem quantum potest.

2 Hinc Lucis & tenebrarum bella perpetua: quolibet illorum peculiare sibi pro se constituere regnum quærente. Videamus quomodo id fiat in luce & tenebris externis, ut inde faciliùs exactiùsque judicare queamus de internis.

3 Antequam DEus primævam Mundo accendisset Lucem, Tenebræ omnia occupabant; tametsi Spiritus vitæ (& mox cum illo tanquam rerum omnium plasmatore semina) materiæ mundanæ infusus jam esset. (*Gen. I. 2.*) Sed accensa è tenebris illis Lux, & sese per circuitum abyssi gyrans, valdè in caliginosos illos vapores & fumos abyssi agere, eosque sic depurare cæpit, ut mox à prima Lucis massæ circumvolutione, die secunda, subtilis & pellucida prodiret *Expansi facies* (quam Cælum & Aërem vocamus:) spatiofissima illa Lucis sedes. Quam fugientes tenebræ ipsâ fugâ sese conglobare, sibi que etiam in Lucis opposito sedem constituere, cæperunt: nempe in crassioribus Mundanæ materiæ partibus, & post illas. Aqua enim & de hinc Terra, ex contrusa in arcum elementari malsa ortæ, *quantum crassitie noctæ tantum & latebrarum in se, & post se, tenebris præbuere*; quod res ipsa hucusque ostendit.

4 A visceribus enim omnis crassæ materiæ, Lux excluditur penitus, opacum penetrare non permessa: quod propriè *Tenebras* vocamus, lucis totalem absentiam. Si autem corpori ejusmodi opaco lucem circumferas, illuminabit quidem illa corporis superficiem, sed ab illo solùm latere quâ lux affulget, oppositum latus tenebræ sibi vendicant, tanquam expelli se à rerum natura ex toto non ferentes. Quo situ tenebræ peculiari nomine *Umbra*

D

dicun-



dicuntur. Qvam si inde quoque depulsurus lucem admoves, illa quoque rursùm in oppositum fugit, locum duntaxat mutans, non amittens.

5 *Ita umbram & tenebras è Mundo tolli impossibile*: permutant solùm vices cum luce. Ubicunqve Lux oritur, ibi Tenebræ cedunt: & ubicunqve Lux occidit, ibi tenebræ mox immediatè succedunt. Nec enim aliud intercedit aut intercedere potest, præter utriusqve confinia, quæ *crepuscula* vocamus, matutinum & vesperitnum. *Ita Lux in medio sui veluti centro fulgentissima est; Tenebræ similiter in medio sui densissime; in confiniis mixtura utriusqve, & veluti lieta*: aut tenebris prævalentibus si lux cedat: aut luce, si seipsam violentiùs in tenebras agat. Nec enim luci resistere possunt tenebræ, si se illis inferat: possunt Lucis occupare locum tùm, si lux loco cedat. Hæc ita æternâ veluti Lege fieri in dierum & noctium successivâ alternatione conspicuum est.

6 *Similiter se res habet cum mentis humane Luce ac tenebris*. Confevit hanc Deus, simulatqve condidit, omnigenæ cognitionis feminibus: quæ femina *Notiones innatas, igniculosque nature*, aut etiam *Lucis naturalis fomites*, vocamus. Sed anteqvam hi fomites ignem concipere possunt, necessariò Mentis abyssum tenebræ occupant (ut in infantibus, omnium rerum ignaris, evidens est:) quæ post demum Lucis actualis exortu dispelluntur. Nempe cùm sensuum ministerio variæ ad res varias pertinentes observationes (ad instar chalybis ad silicem allisionum) obveniunt: ubi scintilla post scintillam elisæ, sensimqve in flammam auctæ, mentis illas tenebras amovent: non ex toto simul, sed per partes & gradatim, propter crassamenta rerum non illicò se discuti permittentium.

7 Atqve hinc est quòd in Mente etiam nostra ignorantia tenebræ Lucis cognitioni se opponunt, dum aliâ parte rarefactæ ac depuratæ, aliâ se rursùm conglobant & condensant, Luciqve caliginem obvertunt. Ut inde semper in Mente nostra, ut in Mundo, aliquid illuminatum, aliquid obscuratum, reperire sit: donec tempus veniat, quo DEUS & Mundo & Mentibus tenebras expellat omnes, faciatqve Terram æqvè ut cælum pellucidam, auferatqve omne velum ab oculis mentis electorum suorum. Quod utrumqve in vita futura futurum, sanctissima DEI nostri oracula prænunciant.

8 Interim ex hoc Capite evidens esto:

I. *Mentis humane statum similem esse conditioni illi, cui subjacet Mundus ipse*: nempe ut à tenebris incipiat & in lucem desinat. (Quia DEUS res quas æternitate donaturus est, ex nihilitatis abisso in Essentiæ stabilitatem ducit.)

II. *Illis*



II. *Illis autem Terminis* (tenebris nempe primævis & ultimæ Luci) *quicquid interjacet mixtum esse ex utroque*: Lucisqve cum tenebris semper esse & fore luctam, donec Lux eluctetur tenebras.

III. *Luci inesse vim pellendi tenebras, non contrā*. Ubicunqve enim Lux oritur, ibi tenebræ mox aut rarefcunt, aut evanescunt: cūm ex adverso tenebris ad Lucem locomovendam virium nihil sit.

IV. *Per consequens si quando Tenebra in Mundo, aut in Mente, invalescunt, non id aliā vi fieri, quām Lucis loco cessione, & quasi indultu, aut certè segescentiā*.

V. *Hinc Luci cum Tenebris congressum semper victoriosum esse*; omnemqve errorem Veritati alicui detegendæ occasionem adferre, experienciā teste.

VI. *Ergò si Lux instare ac se continuò diffundere pergat, Tenebras nullibi reperturas latibula unde non pellantur, certum est*.

VII. *Nihil proinde restare nisi ut Lucis pergamus vestigare, quantumqve in nobis explanare, Vias*; quibus illa se potenter diffundere, in quasvis abditas etiam specus sinuare ac penetrare, totumqve Tenebrarum regnum simul aliquando adoriri, oppugnare, Deiqve ope expugnare valeat.

## C A P. X.

*De viis Lucis quibus se naturaliter effundit & diffundit.*

**N**ostine per quam viam spargitur Lux? quærit ex Jobo DEus: non inveniendi desperationem incutiens, sed inqvirendi ardorem vellicans. Certè enim quæ ibidem de Balænas capiendi impossibilitate; & alibi de profunditatis terræ, humano ingenio impervestigabilitate; alibi rursus de stellarum innumerabilitate, & similibus habet DEus, *difficultatem, non impossibilitatem, innui, hoc ostendit, quòd ad omnia illa jam aliquatenus humana penetravit industria*. Nempe Balænis quoque septentrionales nostri hamos injicere, & Cosmographi per ambitum terræ profunditatem ejus metiri, & Astronomi stellas humano visu dignoscibiles (nec autem invisibiles ostentabat Abrahamo Deus) sub numerum redigere jam didicerunt. Nec quod de viis Lucis eatenus deprehendèrè Optici, nihil est. Omnia quippe quæ circa Lucem, & à Luce, & in Luce fiunt, (propemodum etiam quid ipsa Lux in essentia sua sit) Mathematicâ certitudine demonstrant: ut de scientiæ Veritate dubitationi locus non relinquatur.



2 Videamus ergò an ex deprehensis Lucis hujus externæ viis, & cum viis Lucis internæ collatis, fundamenta eorum quæ molimur erui queant. Ut nimirum Natura ipsa nobis ad Artem, ars verò ad praxin quam quærimus, præsignet semitas. Non autem omnia quæ ad Lucis naturam spectant explicabimus, (non enim id hujus loci) sed quæ ad rem præsentem facere videbuntur, Theorematibus proponemus, & ad Mathematicorum imitationem demonstrabimus, quàm brevissimè. Quamquam tametsi plusculum diffundi contingat, tanti est contemplatio hæc Lucis, ut lucidas mentes aliquid huc temporis & opera impendere, nec pigere debeat, nec pænitere possit.

*Theorema. I.*

3 Lux habet suum subjectum à quo effluit; & objectum in quod influit; & medium per quod transfuit. (Ut Lux diurna, effluit à Sole, in Terram, per Aërem. Et quævis alia Lux, è corpore quovis lucido, in corpus quodvis opacum, per corpus quodvis diaphanum, seu pellucidum.) Similiter Intellectualis Lux cognitio, venit à Rebus, per Sensus in Mentem.

4 Corollarium I. In Luce itaque corporea tria sunt & considerantur corpora, *Lucidum, Pellucidum, Opacum.* (Tolle lucidum, nullus erit effluxus; tolle pellucidum, nullus erit transfusus; tolle opacum, nullus erit Influxus: id est, nullus erit in toto fluxus, nulla Lux.) Similiter cognitionis Lux nulla esse potest, ubi aut Res, aut Sensus, aut Mens desunt.

Coroll. II. *Lucis natura tota consistit in fluxu, h. e. motu; (Transit enim aliquid ab aliquo, per aliquid, in aliquid: ) ita rerum cognitio transitus quidam est, quò mens ab aliquo noto, ad aliquod ignotum, mediante aliquò partim noto, partim ignoto, transit.*

Coroll. III. *Lucis natura tota est ministratoria, uniendis sensui rebus dissitis, ( ut de iis ambiendis aut declinandis judicium fieri possit: ) destinata. Similiter cognitio rerum non propter se est, sed propter delectum & usum.*

*Theorema. II.*

5 In Luce ergò quia fluxus est, est aliquid quod fluit, & sunt termini, Unde, *Quà, Quò, fluit;* & sunt modi certi illius fluxus. Explic. Quod fluit est Radius Lucis: Unde fluit, est ipsum corpus lucidum; Quà fluit est medium pellucidum; Quò fluit est Objectum sive pellucidum, sive politum, sive Opacum. *Modi fluxus sunt, directus vel obliquus. Ita in rerum cognitione; quod transit, rerum simulachra seu species sunt: Unde transeunt sunt res ipsæ; Quà transeunt, sunt sensus externi: Quò transeunt, est Mens; Eiusque pars quædam pertusa, lucem transmittens, Inconsiderantia: quædam polita Lucem reflectens, Attentio & Judicium: Quædam Opaca Lucem*

cem



cem spargens, *Intellectus*; lumen quod haufit ratiocinatione mox sibi multiplicans.

6 *Definitiones.*

1 *Radius, est lucidi species seu imago quaedam.* (Videbis id, si cuicumque lucido, (ut Soli, Lunæ, Candelæ) speculum apponas; imaginem enim ejus seculo impressam mox videbis. Unde autem nisi ab illapso radio?) Ita quicquid cognoscendo menti infertur, & in mente effulget, rerum species seu imagines sunt.

2 *Lucidum est quod radios à se spargit.* Ut Sol, Luna, stellæ, Candela, &c. NB. Non solum tamen lucidum, sed & lumen ipsum seu illuminatum, radios de se mittit; luminis nempe quo tinctum est, vi. Videmus enim in speculo omnia objecta corpora, repræsentari si lumen adsit: nihil verò, si absit. Quare id? nisi quia corpora luce tincta radiant; non tincta non radiant.

3 *Pellucidum est, quod radios illosos transmittit.* (Ut, Aër, aqua, vitrum, cornu, gemmæ quædam, &c. aliàs dicuntur, transparentia, Græcè *Diaphana*.)

4 *Politum est quod radios illosos reflectit, & aliò mittit.* (Ut faciunt omnia Specula lævi superficie, Aqua, Oleum, Metallum politum, Vitrum cui transparentia adempta, &c.)

5 *Opacum est, quod radios illosos repercutit (seu potius discutit,) & per corpora vicina spargit:* (ut faciunt quæ crassam & asperam habent superficiem, Terra, Lapis, Lignum, &c.) [NB. Effectum trini illius Lucis objecti (*Pellucidi, Politi, & Opaci,*) videre potest cui volupe est, si in conclave tenebricosum undique clausum, foramine facto Solis immittat radium. Si enim radius ille incidet in oppositi parietis foramen aliquod, aër in foramine illo contentus, transparentia suâ radium transmittit, forasque mittit, nullo ejus vestigio in conclavi relicto, h. e. tenebris ejus non discussis. Si radius incidat in speculum, reflexam solis imaginem in opposito pariete spectabis, si denique idem radius in ipsum parietem, aut aliud quid asperum incidet, repercussus excitabit lumen in toto conclavi. *Atque ita se quoque animi hominum ad Veritatis radios inæqualiter habent.* Quidam otiosi sunt & torpidi, nihil fermè recipiunt, omnia sine usu transmittunt: alii hoc solum quod recipiunt reddunt, *Mnemonicis.* Alii denique quicquid recipiunt, discutunt: h. e. consequentias nectunt, ratiocinationeque scientiâ, promptè multiplicant, *Discursivi.*]

6 *Radius directus est, qui in corporis objecti superficie perpendiculariter incidit. Obliquus qui collateraliter.* Ut quibus Sol meridianus ad capitis verticem est, directè eos petit: quibus verò ad horizontem est, eos obliquis tantum radiis stringit.



7. *Axiomata de Lucido & Radio.*

I. *Subjecta lucida*, unde Lux fluit, sunt vel à DEO posita in firmamento, Sol, Luna, Stellæ: vel arte facta, Candelæ, faces, &c. Similiter Subjecta mentibus lucem ministrantia, sunt vel divinitus data, vel ab hominibus subministrata. *Divinitus data*, & in conspectu Intellectus nostri Luminarium instar suspensa, sunt: I. *Mundus ipse rerum plenus*. II. *Animus hominis innatis notitiis radians*: quem idcirco Lucernam DEI appellat Salomon (Prov. 20. 27.) III. *Superaddita scripta Lex*, de qua idem Salomon, *Lex est Lux*. (Prov. 6. 23.) *Humanitus verò inventæ faces sunt*, Opera arte facta & Libri humano ingenio scripti: sed quantum lampades nostræ cælesti luci cedunt, tantum humana scripta & Opera divinis.

2. *Quicquid in Lucido est, ut ejus pars, lucidum est, tamen si magis & minus*. (Totus Sol, totaque candelæ flamma, splendet; per omnes minimas etiam particulas: etiam si maculas quasdam in ipso etiam Sole notare sit. Non quod tenebricosæ sint aliquæ ejus partes, sed quia minus aliis fulgidæ.) Ita quicquid in Mundo, Mente, Scriptura, divinitus factum, dictum, inspiratum reperitur; omnia sunt Veritas, tamen si alibi quàm alibi clarior: *Seipsa tamen simul sumpta omnia illustrant, unamque totam verè fulgidam lucem progenerant*.

3. *Omne lucidum radiat*. (Patet ex definitione lucidi:) Sic omne verum habet ideam seu speciem: quam à se emittit, seu per quam cognoscibile est.

4. *Omne lucidum radiat semper*. (sive: Radii à lucido fluunt continuò, sine interruptione ulla, sive quis attendit sive non. Ita Sol quamdiu Sol est, & omnis flamma quamdiu ardet, non potest non radiare.) Sic Veritas rerum perpetuò se, per proprietates & actiones, passionesque suas, prodit.

5. *Omne lucidum undique radiat*. (Quia nempe nullum est lucidi punctum non lucidum, per Ax. 2. Non unus ergò radius prodit à lucido, ex. gr. Sole; sed quasi infiniti.) Ita omne Verum non ex toto tantum, sed per omnes minimas partes verum est, & verum se esse prodit.

6. *Magis lucidum magis radiat*. (ut Sol magis quàm Luna, ob fulgorem majorem; Luna magis quàm stellæ, ob majorem corporis apparentiam, & radorum pluralitatem. *Magis enim radiat, vel quòd plures, vel quòd fortiores emittit radios*.) Ita Verum menti se imprimi vel quia per se magis verum; ut sunt *Notiones communes*: vel quia sensibus magis obvium, ut *Experimenta sensualia*.

7. *Omnis radius per lineam rectam protenditur*. (Ideòque quovis spacio interposito præcisè abrumpitur. Patet id in omni Umbra; quæ radii seu radorum



radiatorum interceptio est. Corpus enim lucidum radium emittens, & Corpus opacum radium intercipiens, & Corpus obumbratum, cui radii intercepti sunt, semper in eadem recta linea reperiuntur.) Sic Veritatis radius Mentem, cui se imprimat, directè petit: interveniente tamen falso aliquo præsupposito, intercipitur.

8 *Nullus radius in infinitum protenditur, sed quousque potest.* (Patet id in stellis illis, quæ ob exilitatem radios subtiliores emittunt: ut videri nisi per instrumenta Optica non possint. Et accensa noctu in patentissimo campo candela propè adstantibus satis radiat, remotis minus, remotissimis evanescit, h. e. ad illos usque radiis suis non pertingit.) Sic Veritatis radii nimis remoti evanescent. Quomodo enim me afficiat quod à sensibus meis, sic remotum est, ut ad me nulla ejus perceptio penetret?)

9 *Radius quò Lucido propior, eò fortior; quò remotior eò debilior: idque pro distantie ratione proportionatè.* (Seqvitur hoc è proximè antecedente Axiomate; quia Lux in suo fonte fulgentissima est; inde per radios diffuens lanqvescit. Hinc est quod qui ad candelam Librum diversa à luce distantia legunt, diversimodè etiam de luce participant. Nempe qui Librum luci opponit spatio unius cubiti, duplum habet luminis præ illo, qui distat per duos cubitos; & triplum præ illo, qui per tres; & quadruplum præ illo qui per quatuor, &c.) Sic rerum Veritas quò propius inspectatur, eò certius elucet.

10 *Omne Lucidum sphaericè radiat.* (Hoc est Lux radios quavèrsùm diffundit. Patet id in candela noctu conclavi illata, totum conclave sursum, deorsum, ad latera collustrante.) Ita rerum Veritas speciem sui quavèrsùm diffundit, omnibusque cognoscere cupientibus sese communicat.

11 *Omnis ergò Lux activitatis suæ sphaeram, extra quam se non porrigit, habet: major lux sphaeram majorem, minor minorem.* (Hinc est quòd loco parvo illuminando lux parva sufficit, majori major requiritur. Illuminando enim conclavi satis est candela; spatio palatio illuminando, opus est aut pluribus candelis, aut face prægrandi. Mundo illuminando sol tantæ molis vix sufficit.) Ita res Veritatis claræ, ampliorem habent activitatis sphaeram, obscuriores minorem. Et Animus capax multis habet opus, angustior paucioribus expletur.

12 *Radius intra suam sphaeram nunquam perit.* (Si enim transmittitur à pellucido, extendit se liberè quousque potest, ad sphaeræ suæ peripheriam; si reflectitur, integer aliò transit; si repercutitur, in multos minores radios se dividit, & vim suam in tanto plura exserit.) Ita rerum Veritas æterna est:  
si quis



si quis eam negligit, ea manet; si alteri communicat, transit; si examine aliquo discutit, eò magis enitet & se multiplicat.

*Axiomata de pellucido seu transparente.*

13 *Omne pellucidum radios transmittit; Opacum sistit.* (Patet ex definitione pellucidi & opaci.) Ita rerum Veritas sensus transit, in Intellectu & Memoria sese figit. (Nam amoto mihi ab oculis Elephante, imaguncula ejus ex oculo mihi perit, non item è memoria & intellectu.)

14 *Lux sine pellucido ad opacum non penetrat.* Ita rerum, Veritas sine sensu ad Intellectum non transit.

15 *Lucis penetrationem impediunt non solida, ut talia, sed ut opaca.* (Vitrum enim satis solidæ, spissæ, duræque substantiæ est, & tamen quia purum & pellucidum, radios transmittit.) Ita Veritatis ad Intellectum penetrationem impediunt non Sensus ut corporei, sed ut crassis occupati & impediti, & non defæcati.

16 *Pellucida seipsa illuminare nequeunt, (multò minùs alia corpora:) illatum tamen lumen mox recipiunt & ad opaca transferunt.* (Per se patet.) Ita sensus nostri à seipsis nullam Veritatem cognoscere nati apti sunt: oblatam à rebus mox accipiunt, & ad intellectum transmittunt.

17 *Pellucidum ut lucem puro nitore recipiat, & transmittat, purum esse ab omni colore oportet.* Ita sensus si rerum Veritatem Intellectui transmittere volent puram, ab omni alieno humore & qualitate puros esse oportet.

18 *Pellucidum duplex radium refringit, rerumque species falsas parit.* (Ex. gr. palus fluvio innixus, quia pars ejus per aërem pars per aquam videtur, infractus videtur, cum non sit. Alio item colore pars per aquam spectata & majori crassitie apparet, quàm per aërem.) Ita sensus rerum si non immediatè à Rebus veniat, sed per traditionem alienam, pravos & erroneos conceptus plerumque progignit.

19 *Quicquid ergò in radiorum refractione est, situ, figurâ, colore depravatur.* (Nam altiùs aut humiliùs situm videtur, majùsque aut minùs quàm est, aut aliter coloratum) Ita quicquid per præjudicia cognoscitur, pravè cognoscitur.

*Axiomata de Objecto politico lumen reflectente: h. e. de rerum Speculis.*

20 *Omne speculum radios exceptos reflectit. Sic omnis attentio, Veritatem perceptam Intellectui imprimit.*

21 *Speculum radio fortiori admotum fortiùs, debiliori debiliùs reflectit.* (Quid sit radius fortior aut debilior, ex Axiom. 8. patet. Admove speculum candelæ unius palmæ distantia; fortissimè lucem ejus reflectes, quòcunque voles:



voles : sed remove idem speculum ad cubitos aliquot, semper debilius reflectere videbis.) Ita Attentio quò propiùs rebus ipsis se applicat, eò plus percipit, & Intellectui imprimi: quò remotiùs eò minùs.

22. *Omne speculum tantum lucidi reddit quantum accipit; imaginem scil. lucidi, vel totam vel ex parte.* (Ex. gr. si totus sol radiat, totum solem; si dimidius, dimidium.) Sic attentio quantum ei rerum ostendes tantum accipiet, & ad Intellectum transmittet.

23. *Speculum planum imaginem rei parem reddit:* (Nec majorem, nec minorem. Sunt autem plana specula quæ superficiem habent nec convexam, nec concavam.) Ita attentio si quanta requiritur adsit, rem ex dignitate sua æstimare sufficit.

24. *Speculum convexum imaginem reddit re minorem.* Ita attentio non satis in rem explicata obiter tantum res recipit, nec earum magnitudinem æstimat.

25. *Speculum fractum, aliàsve distortum, imagines rerum con fractas & distortas exhibet.* Ita attentio in plura distracta, aut non æqualiter rebus applicata, Rerum conceptus distractos inæquales, distortos & monstrosos, efficit.

#### *Axiomata de Opaco lucem repercutiente.*

26. *Omne opacum Lucis radios sistit, h. e. Ulterius penetrare prohibet:*) Sic intellectus Veritatem rerum in se sistit, quia Veritas quò profundius penetret quàm ad Intellectum, non habet.

27. *Omne opacum eò ipsò quòd radios sistit, repercutit, h. e. Lumen facit.* (Nempe quia Radii, ut & Lucis ipsius natura tota, motus est, sisti ita non potest ut fixus hæreat: sed aut transvolat aliòversum totus, ut in reflexione; aut se in vicina dispergit totus, ut in repercussione: ubi dispersus radius Lumen dicitur.) Ita Intellectus Veritatem rerum in se non sic accipit ut illà acquiescat; sed eam aut reflectit in alios, docendo; aut sibi & aliis mox inde cognitionis Lumen multiplicat, alia ex aliis colligendo.

28. *Lumen etiam radios spargit, & ubi ubi in opacum incidit, repercutitur.* (Unde Lux apud Opticos in incedentem & repercussam dividitur. *Incidens* dicitur, quæ immediatè ex ipso radio repercusso, in ipso radorum discutiente corpore opaco, effulget: *Repercussa* verò, quæ ex Lumine alibi iterum ad opacum allidente, & denuò repercusso & retro sparso, exsurgit.) Ita Intellectus, non solùm qui immediatè à rebus venit, sed & qui ratiocinando elicitur, alias iterum ratiocinationes progignit.

29. *Lux repercussa minor est incidente: utraqve tamen simul sumpta fit major.* (Nam si librum lecturus solis radiis obvertas, plus utiqve lucis ha-



bebis quàm si eum obvertas parieti, à quo repercussum lumen librum tibi illuceat. Plurimum tamen habebis, si & incidentem à sole lucem, & repercussam à pariete, junctim colligas.) Ita Intellectus rerum immediatè perceptarum major utiqve est, quibuscunqve à ratiocinatione venientibus conjecturis: nihilominus tamen ratiocinatio Veritatisqve variis modis experimentatio Intellectum rerum omninò firmiorem, illustrioremqve, reddit.

30 *Lumen aliquoties repercussum in umbras tandem & tenebras desinit.* Ita ratiocinationis lumen quò longiùs à rebus & sensu recedit, eò fit obscurius. Ut videmus (ex. g.) Religionis Lumini accidisse. Acceptum enim à DEO primitus per Legem & innatas Notiones Θεογνωσίας lumen; & per varias traditiones variè per genus humanum propagatum, tandem in umbras desinit, non in Gentilitate solùm, sed & in media Ecclesia. Quia lucis fonte neglecto, Lege, repercussam tantùm lucem, per Traditiones, sibi mutuò porrigebant: magis magisque sic à luce incidente clara recedentes.

#### *Axiomata de Illuminatione Rerum.*

31 *Lux emergens paulatim augetur.* (Ex. gr. dum è scintillis fax accenditur: primùm ex obscuro filice eliditur scintilla; quæ conjecta in ignis fomitem gliscit, admotoqve sulphure, flammescit, tandem face aut tædâ accensâ lucet. Ita cùm se Nox in diem commutat, aurora præcedit, tunc diluculum, dein exorientis solis jubar, tandem ipse exorti fulgor, &c.) Ita cognitionem rerum distinctam confusa, claram obscura, naturalissimè præcedit, demumqve gradibus suis explicata nitescit.

32 *Lumen in quicquid sibi obvium incidit, id visibile reddit;* (Quia tenebras mox dispellit, cedereqve cogit:) sic Ratio, seu Idea cujuscunqve rei bona, in quemcunqve Intellectum incidit, Lucidum eum reddit, ignorantiamqve pellit.

33 *Lux non insluit nisi per contactum* (sive, *Lux nihil illuminat nisi quod radius contingit.*) Neque rerum Ideæ intellectum influere possunt, nisi ei sensu mediante junctæ.

34 *Radius Lucis directè sibi opposita directè petit, obliqua obliquè, aversa nullo modo.* (Ita sol verticalis vehementissimè lucet & urit, horizontalis minùs, sub terram mersus nullo modo.) Sic rerum species, seu Ideæ, si attentionem directè obvertas benè se imprimunt; segniùs, si segniùs; nullo modo, si nullo modo.

35 *Luces plures, radios simul jungentes, lumen augent.* (Patet id in conclavi, pluribus candelis longè plus quàm unâ illuminato.) Sic in mente, quò plus scibilium cognitorum, eò major scientiæ Lux.

36 *Lux (tamen) major obfuscatur minorem.* (Præsentè enim Sole, nec Lunæ

nec



nec stellarum, nec candelæ accensæ, lumen percipitur: propter exilitatem sui respectu fulgoris illius majoris.) Ita in Mente hominis si quid sublime, excelsum, divinum, animum inflamat, ita occupat totum, ut inferiorum rerum desideria, cogitationes, intellectus, hebescant.

37 *Magna Lux ad magnum Calorem excitandum vim habet.* Sic à magna in Intellectu luce, magna sequitur in voluntate propensio, ad ea quæ bona: & magna averfio ab iis, quæ mala esse clarè intelliguntur.

38 *Lucis radii colligi, uniri & condensari ita possunt, ut in punctum coarant.*) Id quod fit recollectione & in eum coactione radiorum, instrumento pellucido concavo.) Simili arte vis mentis concentrari potest per sensuum & Imaginationis recollectionem, & in unum aliquid defixionem.

39 *Lux ita condensata validissimè lucet & urit.* (Inde enim specularentia, etiam è frigidissima glacie ut narrant, confecta.) Sic intellectuales rerum radii in unum collecti, validissimè in animos torqueri possunt, ut non illuminent solum Intellectum vehementer, sed & Voluntatem accendant & inflamment, etiam dum se in res ardore indignas (terrenas, impuras, noxias,) colligunt.

40 *Lux primariò inest lucido, secundariò illuminato.* Ita Veritas primariò est in rebus; secundariò demum in Mente, rem dextrè intelligentis.

#### *Axiomata de Visione Rerum.*

41 *Lucida omnia visum feriunt.* Sic omnia intelligibilia, Intellectum petunt, modò Menti obvertantur.

42 *Lux sola visionem non absolvit, sed correlatam requirit Oculi operationem:* qui & ipse suam habet structuram, actionem, viasque quibus luci obviat. Ita rerum Veritas quæquam se per sensus Intellectui præsentat: Intellectionem tamen rifici & Intellectus co-operetur, non absolvit.

43 *Oculus ut videat, videndis obverti opus habet.* Intellectus similiter intelligendis.

44 *Oculus illuminari opus non habet, sed Res videnda;* (sicut & Speculum quodvis meliùs in umbra stans, rerum in luce positarum imagines reddit, quàm si ipsum quoque in luce constituatur. Ratio est, quia radii lucidi fortiores sunt luminosis radiis. (Per Defin. 2. & Ax. 29.) Lux itaque si fulgore suo oculum occupat, rerum aliarum visionem impedit, quia obfuscat: per Ax. 36. Hinc qui sunt oculis cavis, meliùs vident, & per lucem fulgidam eminus spectaturi aliquid, palmâ oculis super impositâ fulgorem solis ab oculis (quantum possunt avertere solent.) Ita dum rem aliquam clarè intelligi volumus, non ingenium torqueri, aut cogi, opus est: Sed intelli-



gendæ rei rationem veram in conspectu ejus clarè explicari, mox clarè Percipiet.

45 *Oculus non in spheram videt, sed ante se tantum.* (Lucem sphericè radiare diximus ante; (Ax. 10.) sed non sic Oculus: qui radios rerum ante se tantum positarum excipere sufficit: ideòque in eam solùm rem, aut rei partem directè obvertendus est, quam videre cupit.) Similiter *Mentis attentio naturâ suâ in unum fertur*: si cogas ad plura simul, nihil rectè percipiet: quia, *Pluribus intentus minor est ad singula sensus.*

46 *Ut Lux ita Visus, activitatis suæ habet spheram, extra quam se non porrigit.* (Quia Visio fit per pyramidem; cujus basis est corporis visi diameter, conus autem oculi centrum. In Oculi igitur, (seu pupillæ) circumferentia, repræsentatur rei Imago: si res illa propè adstet major, si longè distet minor, &c.) Ita intellectus minutias rerum non benè perspicit, nisi admoveantur propiùs, distantiâ proportionatâ.

47 *Oculus ut purè videat, ab omni aliena qualitate purus sit.* (Nam Ictericis, qui Oculum flavâ bile imbutum habent, omnia videntur flava: *Melancholicis* fusca, &c.) Ita Intellectus ut res purè videat, ab omni præconcepta opinione liber sit oportet.

48 *Oculus purus non aliud, nec aliter, quàm illi res exhibetur, videt.* (Id est, rem illam quam offers, non aliam: & quidem tantum ejus, quantum offers: eòdemque situ, figurâ, colore, quò offers. Si offers hominem videt hominem: si totum, totum: si partem, partem; si stantem, stantem; si cubantem, surgentem, cadentem, album, atrum, talem quoque.) Similiter Intellectus mentis sanæ id ipsum, tantumque & taliter intelliget, quod & quantum, & qualiter, sibi per lucem clarâ præsentari sentiet. Quia æquè facilè lucida ut tenebrosa, pulchra ut turpia, emortua ut viva, cælum ut terram, &c. & speculum quodvis, & oculus quivis, & Intellectus quivis, recipit ac repræsentat.

## CAP. XI.

### *Quibus viis Tenebræ se Luci offundunt.*

**V**idimus apertas Lucis vias, Tenebrarum occultas videamus. Etsi enim non tam viæ sint, quàm diverticula & latebræ: non ignorandæ tamen, si expugnandæ. Paucis ergò, *Ubi, Quomodo & Quâ suâ vi*, prævalere Luci soleant tenebræ, attendamus.

I Quo-



1 *Quocunque Lux nulla pertingit (nec directa scil. nec obliqua) ibi tenebrae fixam obtinent sedem* : ut in subterraneis profundis antris. Similiter quam in mentem nulla penetravit rerum cognitio, ibi ignorantiam regnare necesse est.

2 *Quocunque Lux incidens non pertingit, sed repercussa tantum, ibi umbra nidulatur.* (Ut in recessu aliquo montis, aut sub arbore, aut in domus angulo aliquo, &c. Ita si quis ex obliqua tantum informatione aliquid de rebus percipit, obscuram tantum & umbrosam earum cognitionem, illum habere necesse est.

3 *Omne opacum, intus oclusum, Tenebrarum receptaculum est.* (Ut lapis intra viscera sua.) Ita homo sensibus privatus, aut eos rerum contemplationi obvertere nolens, vel nesciens, vel negligens, intra se tenebricosus fit oportet. Hinc tenebrarum princeps hominibus terrena objicit bona, illisque sensus explet, ut meliora & veriora bona videre nequeant.

4 *Opacum in luce situm altera sui parte illuminatur, altera umbratur.* (Ut Lunæ, Terræ, & cuius in luce posito corpori evenit.) Ita Homo in Mundo constitutus, corporeque & rebus corporeis circumdatus, quatenus Sapientiae lumini colligendo se obvertit, eatenus illuminatur: quatenus autem terrenis circumstat, & afficitur, & movetur, eatenus umbris immergitur.

5 *Quicquid se à Luce avertit, eò ipso se ipsum obumbrat.* (Ut Bos à sole averfus suam mox umbram ante se habet.) Ita Intellectus à rebus ad seipsum averfus phantasmatum umbras, proscientia rerum vera, sibi progenerat. Voluntas autem à DEO, vera sua luce, averfa, quibuscunque aliis se oblectet, ipsa sibi causa est ut umbras pro rebus habeat.

6 *Umbra & Tenebrae essentiam realem & positivam mentiuntur, quam tamen non habent.* (Videri enim quiddam luce ipsa realius, densius, palpabilius, volunt, cum nihil sint, præter realis essentiae lucis privatio; superventu enim lucis mox evanescunt, & quod nihil sint, fateri coguntur.) Ita sibi Ignorantia quoque, imò & errores ipsi, placent, & se pro ipsissima scientia & veritate, quam diu sola sunt, venditant; sed à superveniente scientia & Veritate, ut nebula à sole, dispelluntur.

7 *Umbra repræsentat Corporis opaci, à quo venit, figuram: eique sic (velut imaginis ejus sustentatione) blanditur.* Sic Ignorantia ignorantibus & error errantibus plerumque placent, tanquam scilicet genuina sui imago: præterquam quicquid affertur, alienum videtur.

8 *Lux umbram & tenebras nec metuit, nec fugit: Tenebrae autem Lucem & metuunt, & fugiunt.* Ita rei notitia & certitudo clara, nec alienam ignorantiam,



rantiam, nec circa rem ullam errores, curat. Ignorantes verò & errantes, quia sibi non satis constant, veritatis lucem plerumque fugiunt, aut declinant.

9 *Luce cedente Tenebræ accedunt, recedente recedunt.* Ita si quis Cognitionis lumen colligere negligit, tenebris Ignorantiæ viam ad se sternit. Si Veritatis certus esse non curat, erroribus ad se aditum præbet. Contra si quis scientiæ & veritatis lumini dat operam, eo ipso ignorantia & errorum à se exigit tenebras.

10 *Umbra lucem fugiens, semper in opposito lucis sedem quærit.* Ita Ignorantia & error ibi potissimum sedem inveniunt, ubi inquisitionis & examinis minimum reperiunt.

11 *Quò Lux major, & Corpus ei oppositam magis opacum, eò umbra densior.* Ita quò clarior Veritatis Lux alicui affulgit, eiqve se ille pertinaciùs opposuit, eò majori cæcitate seipsum involvit.

12 *Quò corpus lucidum opaco minus est, eò illuminat minus, eò que magis umbram crescere & se dilatate facit: è Contra quò majus est lucidum opaco, eò id plus illuminat, umbramque decrefcere, ac tandem evanescere, cogit.* Ita in Animo errante Lucis, parum errorem loco non movet, crescere potiùs permittit: multum, autem lucis multum illuminat, erroremque debilitari ac decrefcere, tandemque evanescere, cogit. Atque ita viarum Lucis & Tenebrarum Theoria est: Praxis sequitur.

## CAP. XII.

*Quomodo viæ Lucis ad Tenebras efficaciter undique potenter pellendum complicari, & rite applicari, possint ac debeant?*

**P**osse artes opticas ad Lucis intellectualis praxim accommodari, patere, jam potest: *Problematibus tamen aliquot, in exemplis adductis, res fiat illustrior.*

**Problema I.** *Lucidum, ut clarè luceat efficere.*

Triplici hoc obtinetur curâ. 1. *Omnes lucis partes ut luceant efficiendo: amotis scilicet, quæ ad umbrare possunt, sive in ipsa flamma (ellyphnii superfluitatibus) sive circa illam. (per Ax. 2. Cap. 10.)* 2. *Diaphanum sit clarum & subtile; non nubilosum, nec densum, & quantum potest simplex. (Ax. 13. 14. 15, 16, 17.)* 3. *Objectum ipsum rectè*



rectè *Luci obvertatur* : ut recipiat lucem incidentem & repercussam simul (per *Ax.* 29.) Magna ergò in Intellectu quoque Lux accenditur ; si

1. Quicquid in operibus , verbis , dictaminibusque Dei occurrit , menti humanæ collustrandæ adhibeatur.
2. Et instillentur illa per sensus claros.
3. Mentisque attentè obversentur.

*II. Aliquid valdè illuminatum reddere.*

Tribus hoc itidem absolvitur. 1. Sumatur *lucidum majus* , quod faciat lumina aut plura , aut robustiora (per *Ax.* 5. 6, 11.) 2. *Illuminandum sistatur intra luciditatis sphaeram* ; & quidem lucido quàm proximè (per *Ax.* 9. 10, 11.) 3. Et *obvertatur sic luci* , ut radii in illud directi , & perpendiculares incidant : (*Ax.* 29. & 34.) Valdè illuminatum erit , quicquid sic luci admovebis. Ita si Mentem hominis valdè illuminatam reddere vis , admove illi aut *Lucidum fulgentissimum* , *DEI Verbum* ; aut lucida plura quotquot possunt. Nempe *Naturam ipsam rerum* , & *Animi Notiones internas omnes* : atque tum contine Mentem in horum centro , ut radii undique incidant , & obverte undique attentionem : impossibile erit non oriri magnam Lucem.

*III. Ut aliquid videatur efficere.*

1. Offeratur oculis non occipitio. (per *Ax.* 43. 45.)
2. Oculi aperiantur. (*Ax.* 41. 42.)
3. Lumen inferatur , quod rem radiare faciat. (Definit. 2. cum Corollario suo.) Similiter fiat cum Intellectu.

*IV. Ut res quanta quanta est videatur tota.*

Præsenta eam visui totam , & videbit totam : (per *Ax.* 22.) Ergò & Intellectui quicquid ostendis , si totum ostendas (ab altero extremo ad alterum usque , unde incipit donec ubi desinit , ab imo ad summum , à dextro ad sinistrum) non poterit non percipere totum.

*V. Ut res videatur qualis est.*

Efficies id offerendo Visui nativò partium omnium situ , non inverso. (*Ax.* 23. 24, 25.) & per medium purum , simplex vaporibus non inquinatum. (per *Ax.* 17. 18, 19.) Ergò pariter si in oculis Mentis sistas rem quamlibet sic , uti est ; & per seipsam immediatè , non per aliena de ea testimonia & præjudicia , videbit eam uti est.

*VI. Ut res clarè videatur.*

Siftenda est 1. Oculo claro. 2. In clara luce , & diaphano claro , sine refractione. 3. Distantia debitâ. Similiter ut res clarè intelligantur , offer

eas



cas (1) Ingenio perspicaci (2) Clarè, per Methodi lumen debitum (3) Cum excitata attentione, & permissâ debitâ morâ, non poterit non percipere.

*VII. Ut res distinctè videatur.*

Ostendenda est, non solùm tota obiter, sed per partes, particulas, particellas, singulas. Ad quod debita mora requiritur; quia ad singula lustrandum transitu de uno in aliud, opus est. Metus a. quia successivè fit, non fit in momento, temporis tractum requirit. Et in singulis quoque commorari necesse est, si omnia distinctè percipi debent. Non aliter Intellectus res penetrare potest.

*VIII. Ut remota Res velut propingua spectari possint.*

Aut eam oculis admove; aut si immobilis est, ipsam ipse adi: aut si id etiam non licet, aut libet, Tubum perspectivum adhibe, ejusque beneficio rem aliquantò meliùs dijudicabis. Pariter si res ab Intellectu remota obvenit, aut ut haberi & sensibus coram examinari possit, danda est opera; aut fumendus Panharmonix tubus, quo res quæ per se non cognoscitur, ex homogeneis & parallelis suis, quantum possibile cognoscatur tamen.

*IX. Quod videri non debet, ne videatur.*

Aut excludatur perpetuò, ne in oculos veniat unquam; aut ne veniat per lucem; aut denique non nuda, sed aliquo modo velata, veniat, si abesse non potest. Similiter quod sciri & intelligi nolumus, nunquam admittendum est ad sensus; aut certè attentio alioversum flectenda videntium; aut denique non nisi cum antidoto accurato, noxia ut resciscantur providendum.

*X. Rem admodum illuminare & inflammare.*

Diaphanum solidum (ut est vitrum, gemma, glacies, cornu, &c.) ad concavitatem arte certâ efformatum, radios lucis solaris (in his exemplum est evidentissimum, quia sunt robustissimi) quotquot incidunt in conum coit, & eorum illuminatricem & calefactoricem Virtutem in punctum coincidentix ita concentrat, ut fulgore visum perstringant, aut si mora justa detur rem ipsam in quam incidunt (si inflammabilis est) inflamment: Similem vim obtinent radii rerum Intellectualium (præsertim cœlestium) si summâ attentionis & imaginationis vi excepti in cordis centro cœant. Nam & luce incredibili animos perfundunt, & flammâ quâdam corripiunt. Quod



æqvè certâ arte fieri posset, atqve prius illud, si persuadendi, & animo s  
flectendi artem, æqvè excultam haberemus, & homines æqvè se formari, ut  
Vitrum & similes materiæ, paterentur.

*XI. Tenebras undecunqve pellere.*

Nihil artis est: infer tantum lucem, tenebræ mox fugient, (per *Ax. 1. 6.*  
& *9. Cap. 8.*) Ita Mentis tenebræ ultrò evanescent, cuicui res cognoscen-  
dæ offeruntur: quia ut oculus lumen, ita omnes alii sensus, & per sensus in-  
genium, pabula sua ultrò appetunt.

*XII. In loca radiis lucis per se inaccessa lucem deducere.*

Hoc fieri potest speculorum radios reflectentium beneficio (per *Ax.*  
*20. & c.*) Quo enim radius directus pertingere non potest (ut in anfractuosa  
terræ, cellarum subterraneorum, antra, &c.) reflexus poterit, etiam si  
multi ambagiosi anfractus sint. Multiplicari enim disposita specula possunt.  
Quamquam id non sine lucis jactura & imminutione fieri queat. Vix enim  
ullum datur tam politum speculum, radiosque tam purè reflectens, quin  
radius ex parte discutiatur, adeòque aliquid ejus ipsâ reflexione pereat, &c.  
Ita si quis in tam profundo Ignorantiæ vel erroris sui antro sepultus sit, ut  
extrinsecus circumlatæ veritatis fulgorem nullum admittat, per consequen-  
tias benè concatenatas, eò deducendus est, ut tandem aliquem Veritatis ra-  
dium notare incipiat, &c.

*XIII. Oculos Tenebris adsvetos, luci ferendæ adsvetificare:*

Constat ex historiis homines subterraneis carceribus diu detentos, & luci  
desvetos, subitanæ redditos luci excæcatos fuisse. Simile quid accidit ho-  
minibus errorum tenebris assvetis, ut si veritatis lux ex improvviso offeratur,  
exhorrescant, lucemque odio habere, & hinc aut fugere, aut obluctari, cum  
furore etiam, incipant. Quid ergò hîc consilii? Ex *Ax. 31.* petendum  
est. Nempe ut Lux, præsertim cælestis (*NB*) non derepentè offeratur,  
pleno fulgore suo (ne excæcemus & obduremus magis) sed gradatim. Pau-  
latim nempe elevandi sunt homines è Tenebris ad Umbras, ab Umbris ad  
Lumen, à Lumine ad Lucem, demumque in ipsum Lucis fulgorem. Secus  
hæc res non fit. Ergò si homines mundani ad cælestia, carnales ad Spiri-  
tualia, infideles ad fidem, formandi sunt, prorsus gradatione rem peragi ne-  
cesse est: à notis incipiendo, & hinc paulatim ad ignota deducendo. Cujus-  
modi prudentiæ in Christo quoque & Apostolis exemplum habemus.  
*Sed incipiamus has viarum lucis speculationes universali nostro accommodare  
instituto.*



**XIV.** *Accendere Mundo Lucem intellectualem maximam, quâ Major non detur.*

Si fumantur omnia lucida simul quæ haberi possunt, erit Lux maxima quæ haberi potest. Atqui lucida ejusmodi, unde mentibus exsurgere potest lumen, non nisi tria divinitus data esse, *Naturam, Scripturam, & Notiones innatas omnibus communes*, jam ante vidimus (*Ax. I.*) Ergò si fumantur omnia illa tria junctim, & redigantur in lumen unum (ut omnes ibi existentes soles & stellæ in cælo intellectus nostri, simul radient) habebitur Lucis flamma quæ haberi potest maxima. Ultra quam quod quærat non erit, nisi ipsa æterna, sed mortalitati huic incongruens, Lux.

**XV.** *Luci maximæ dare objectum maximum; quò majus non detur.*

Lucis intellectualis objectum est Mens hominis, rerum intellectu explenda. Maximum ergò maximæ intellectualis lucis objectum, erit Intellectus omnium hominum, universali illa luce collustrandus.

**XVI.** *Ut se luci huic omnium hominum obvertant oculi, efficere.*

Occultâ hîc arte opus nullâ. Ponatur tantùm accensa Universalis lux, non sub modio, sed in candelabro, ut in domo Mundi radios liberè spargat, vi suâ ad se omnium hominum oculos convertet. Hanc enim lucis naturam esse in infantibus, vix dum natis, apparet: quos ante omnia aliorum sensuum objecta lux ad se rapit, oculosque insciis etiam, ad se contorquet. Talem Pulchritudo rerum ipsarum, quas orta lux spectandas offeret, excitandi è consuetudo veterno homines, vim habebit.

**XVII.** *Ut lux hæc ad diffitas etiam Gentes penetret, præstare.*

Si mundus soles haberet plures (*Ex. gr. duos ex adverso sibi incedentes*) haberent semper omnes gentes diem: at verò dies sine nocte non præsentis ævi est, æternitati servatur. (*Apoc. 21. v. 25.*) Unus nihilominus sol omnibus terris illuminandis sufficit, successivo motu suo, diurno & annuo; & per vicarios suos, Lunam & stellam, &c.) Ita animorum universalis semel

rectè



rectè accensa Lux, per radios reflexos, h. e. translationes librorum necessariorum in lingvas vulgares, Gentibus communicari poterit omnibus, successivè.

*XVIII. Facere ut quicquid homines agant, in luce sit.*

Sole supra terram præsentè, quoquò se quis in patente campo vertat, in luce semper erit: ita si sapientiæ sol rerum omnium quæ sunt, & fiunt, rationes detegens & explicans, super hominis Cor, cogitationesque & actiones omnes, elevatur, non poterit non ubi-ubi fuerit, *quid, ad quid, per quid & quomodo fiat*, intelligere. Et quia summa animarum Lux, DEus est, hujus fulgor ita per omnia spargi potest, ut quoquò se anima vertat, lucis hujus splendorem in oculis habeat: nisi se fortè ab illa ultrò avertat: (per *Ax. 5.*) rebellisque lumini fiat (*Job. 24. 14.*) quæ perversitas æternis tenebris piandam habet culpam. (*Ax. 5. c. 8.*)

*XIX. Facere ne quid intellectum, in luce jam positum, obumbret.*

Quia umbra à corpore aliquo opaco, inter lucem & nos sese interponente, provenit, (per *Ax. 4. c. 8.*) Intellectusque similiter ab opinionum & incertarum traditionum nebula obumbratur: si has nebulas à se prohibueris, ut immediatè res intellectui semper alluceant, semper sine umbra videbis id quod est.

*XX. Tenebræ ne redeant prohibere.*

Cavendum ne luce repercussâ unquam contenti lucem primariam seu incidentem, negligamus. Negligentiùs enim habita amitti possit (per *Ax. 30.*)

CAP. XIII.

*Lucis Intellectualis per Mentès hominum spargendæ viam, divinitus ostensam, hucusque observari sextuplicem: septimam autem superesse, prorsus universalem.*

**L**ucem accendi, gliscere, inardescere solere gradatim, (*Ax. 31. cap. 7.*) vidimus. Sol ipse diem Terris illaturus, ab obscura è profundo radiorum ejaculatione incipit, tum auroræ jubar præmittit, mox aureo corpore suo



suo supra horizontem se efferens, ipsum fulgorem suum in conspectu sistit. Inde quò altiùs se elevat, eò plus lucis & caloris verticalioribus radiis excitat. Sed fieri solet, ut obortâ mane pluvia vel nebulâ difficiliùs, tardiùsque, nubium discutere caliginem, & quandoque sub ipsam demum vesperam victores radios exferere, Terræque habitatores pleno suo aspectu exhilarare, valeat. Non absimiliter se res habet cum Intellectuali animorum luce, Sapientiâ: quod per magnum hunc Mundi diem (totus enim seculorum fluxus toti Humano generi unius instar diei est) non nisi sic gradatim vim suam in collustrandis mentibus exferere potuit. Nempe quia mox post ipsum rerum exortum Lapsus, & ex lapsu Vertigo, obvenit, quæ totum Rationis humanæ cælum caligine obduxit, difficiliùs discuti hæ nebulæ, mentesque humanæ ad serenitatem redire, possunt.

2 Gradus itaque quosdam, per quos se Lux intellectualis hominibus in manus explicabat, observamus hucusque sex: septimum autem superesse plenum illum, summum & universalem, quem vestigamus, certis colligimus argumentis. Loquimur autem (quod notandum) de viis, & gradibus Lucis ordinariis, ad externè hominibus omnibus lucem augendam datis: non autem de extraordinariis illis, quibus DEus miraculosè quorundam hominum mentes internâ luce perfundere jam olim solitus erat: ut Salomoni, Prophetis, Apostolis, &c. factum.

3 Prima Lucis intellectualis ad mentem hominis deducendæ via, fuit *Inspectio*: immediata scilicet & accurata singularum rerum Inspectatio, quam DEus Homini primo, adhuc solitario, commendabat: adductis eò fine in conspectum ejus omnibus animalibus, ut singulorum naturas specularetur; eisque rationabiliter imponeret Nomina (Gen. 2. 19.) Quâ viâ ille tantum profecit, ut ubique constitutam divinâ sapientia combinationem Rerum sibi occurrere videns, defectum in se vitæ consortis agnosceret.

4 Consuetudo itaque Divinæ bonitati more, (quæ defectus nostros aut prævenit, aut si eos ad desideria & patientiam nostram exercendum immittit, mox supplet) addita illi fuit Vitæ sociæ. Cùmque jam duo essent, cæpit inter illos alia, à primo diversus, rerum cognitionem multiplicandi modus, Sermo mutuus: quò alter alterum interrogando, & ad interrogata respondendo, ad uberiores in sapientia profectum exercere posset. Est enim aurium quam oculorum ad omnigenam rerum cognitionem colligendam amplior usus: dum de illis etiam, quorum videndorum copia non datur, alii alios sermone informare, scientiamque mutuò augere, possumus.

5 Multiplicatis Hominibus, & ad rerum vana dilapsis, alius adinventus est modus Homines ad utilia bona, sancta revocandi: nempe Cætus publicos celebrandi.



brandi consuetudo, Ubi eleganti compendio multi simul optima quæque doceri possunt. Cæpit hic mos in mediis hominum corruptelis, ante Diluvium, à sanctissimo Patriarcha Seth introductus, (Gen. 4. 26.) Quem post alii imitati sunt, Deusque ipse Lege suâ confirmavit: ut in Ecclesia tanquam ipsius DEI sanctio retineatur hucusque.

6 Cum verò à Diluvio ætas hominum decreveret, negotiorum autem & occupationum strepitus cresceret, ex eoque Menti humanæ major undique distractio & tumultus nasceretur: ad consulendum Memoriam labilitati, & posterorum necessitati, adinventæ est Scriptio: quæ absentes (sive loco sive tempore) se invicem, adeoque mortui etiam vivos, necessaria docere possent, usque in sempiternum (Jes. 30. 8.) Quæ ars ut extra Israël emigravit, communis fieri optata est: quemadmodum ex Job. 19. 23, 24. colligitur? Est enim transmittendi ad posteritatem res memorabiles medium unicum: absque quo esset, abolitam penitus videremus omnis Antiquitatis memoriam. Quod exemplo Barbarorum in Orbe novo populorum patet; qui Libris destituti nullam rerum originem, aut progressum, nec quicquam humanam cognitione dignum, sciunt; brutis quàm hominibus (staturâ exceptâ) similiores. Et quia legendi & scribendi ars penitus res ardua visa est, (quemadmodum revera in seipsa est: nec ipsimet tantam certitudine scriptionem & lectionem peragi posse crederemus, nisi quid usus creber possit, experientiâ edocti essemus:) ad facilius difficultates superandum, apertæ sunt Scholæ publicæ: in quibus multi simul (præsertim vitæ negotiis nondum distracta Juventus) literas docerentur.

7 Verum enim verò quia Librorum transcriptio, res operosa fuit, rari exstabant, magni veniebant, paucis eorum dabatur copia, eoque tenebris & barbarie rursus opplericæperunt omnia: cum tamen tempora ultima, tempora Lucis, appropinquaret: visum est DEO hominibus miram quandam Libros in infinitum stupendam celeritate multiplicandi ostendere artem, Typographiam. Ex qua quantum in genus humanum redundarit commodi, dici vix satis potest. Ejus siquidem beneficio Lex DEI, & quicquid sapientiæ in monumenta relatum fuit ab omni ævo, in lucem protractum est; apertumque nobis cum omnibus retroactis seculis commercium, & omnia prioris ævi excellentiora Ingenia tributaria nobis facta sunt. Unde factum ut Homines antiquæ sapientiæ luce excitati, eamque exhaustisse non contenti, novis inventis quærendis certatim animos excolant. Ab illo enim tempore puriores Literæ, Lingvarumque, & Artium, & Religionis, studia ita effloruere, qualiter nunquam ante ob Orbe condito: ut non immeritò artem Typographicam Artium omnium conservatricem & propagatricem appellârit



non nemo. Et vulgò quicquid Typis describitur, in lucam mitti dicitur; quò ipso divinum hoc inventum Lucis esse viam agnoscere nos fatemur.

8 *Sextam spargendæ per genus humanum Lucis viam interpretamur esse Navigandi artem, ultimis quoque his temporibus detectam*: quâ hominibus per varias Orbis Continentes, marisque Insulas disjectis, ea tenusque ab invicem seclusis, & se invicem ignorantibus, commercia aperta sunt. Unde & Scientia nostra multis partibus completior facta; & communicandi Lumen nostrum incultis illis Gentibus occasiones (quas meritò attendimus) datæ. Nec enim credibile est stupendam hanc Orbem circumvolandi artem ob sola mercimonia (ut auro Peruviano insolescamus, aut Tabaco Brasiliano nos inebriemus, similesque humilis considerationis scopos) detectam esse: altius consilium DEI tendere credendum est. Quod non omninò siluere Oracula sacra: quæ cum Salomoni ab Insulis remotis Aurum, & Argentum, & Eboræ, & Simias, & Pavones, per emissam classem suam fuisse allata, memorant (1 Reg. 10. 22.) *Cælesti Salomoni classes suas Oceani adducturas esse ad nomen Jehovæ Sionis filios, cum auro & argento suo, in ornamentum Ecclesiæ, prædicunt* (Jes. 60. 9. quò loco ultima illa universalis Gentium conversio describitur. Videatur tamen etiam Caput 42. v. 10, 11, 12, 15, 16. Et Cap. 43. 14, 16. & 49. 11, 12. & Cap. 51. 5, &c.) Et certè frustra Christus Evangelium ad extremos usque Terræ fines prædicari mandasset, futurumque id ante Mundi finem prædixisset (Matt. 24. 14.) Si non penetrandi eò usque tandem modum viamque detexisset. Hæc itaque postrema duo inventa, (*Typographia & Navigandi ars*) quemadmodum per se lucis multiplicativa sunt, ita & *majoris cujusdam Lucis* (nempe universalis illius) *prodroma esse, cur dubitari debeat, non video.*

9 *Nam eò prorsum spectare videtur præsens Mundi, ad πάλυγενεσίαν quamdam omninò sese disponentis, facies.* Ubi DEUS humanæ in summum effusæ malitiæ justæ iræ suæ superinfundit diluvium; evertensque alios per alios, *Universali quoddam rerum ruinâ universali cuicdam rerum metamorphosi parat viam: complanans ruinosi ædificii areas, ut sit ubi nova ponat; & ubique ferè Gentium, & Lingvarum, & Religionum ingenia excitans, quæ consuetarum perplexitatum pertæsa exitum aliquem quærant.* Majori certè ac unquam molimine, nec non feliciore successu, tum Naturæ finis, tum Scripturarum recessus, tum Animi humani penetralia perquirentes multi, plura & majora indices è thesauris illis in lucem proferunt: notabili humanæ sapientiæ accessione, certissimò autem Providentiam divinam quod prædixit olim, parturire jam, argumentò. *Ideo scilicet pertransire tam multos*

finis



senit (imò ut pertranscant facit) DEUS, ut multiplicetur scientia. Dan-  
12. 4.

10 Huc ergò seculorum delati, & sex illas Lucis Vias prætervecti, septimam prospectamus. Nempe quia gradibus hucusque itum est, quod restat gradus altior sit oportet. Id autem quid aliud esse potest, quàm ut recluso per Typographiam seculorum, & per Navigationem gentium, commercio, ex omnibus eatenus detectis luminibus unum consiat magnum lumen in communes Generis humani usus. Pura ut quicquid unquam & usquam veri & boni particulatim, & veluti privatim, cogitatum, quæsitum, inventum, divinitus exhibitum, usurpatumque fuit, hoc, illo, isto, seculo; hæc, illa, ista in gente, lingua, familia, domo; id totum jam toti offeratur Mundo. Et quod assequabantur quidam solum, acrioribus ingeniis præditi, posthæc id capere queant omnes, post detecta & clara in luce posita Rerum mysteria: quæ percipere non jam tam operosum sit uti fuit, sed facile, spontaneum, jucundum, propter communem omnibus ostensam in omnibus harmoniam. Verbo, Lucis viam amplissimam ingredimur: per quam mortales incedendo, videant OMNES, OMNIA, sibi ad beatitudinem necessaria, OMNINO, sine deceptione ulla.

11 Observanda verò sunt de hac ultima LUCIS VIA, utiliterque monenda, sequentia hæc. Primò, Septimam hanc Lucis viam, upote amplissimam quæ cogitari sub celo potest, ultimam fore Mundo: postquam nihil restabit nisi beata illa in cælis octava, αἰολοφία rursus. Quam tamen nulli novi excipient gradus: quia beatorum illa Visio non rivulorum erit Rerum; sed fontis ipsius, DEI: in quo beati & videbunt & habebunt omnia sine fine.

12 Secundò, Inter has septem Lucis Intellectualis Vias gradationem esse pulchram, posteriore quòvis gradu priores non tollente, sed includente ac firmante. Quemadmodum enim Lingvæ usus dum cæpit, αἰολοφία, non abolevit, sed ad eam plures invitandi occasionem dedit. Et Cætus publici non sustulerunt privata Colloquia, neque Contemplationes: sed eas potius auxerunt. Et reperta Scriptura tria illa jam antegressa non stitit, sed promovit. Et ars Typographica usum calami non in hibuit, sed celebriorem reddidit: sicut & Navigationes omnia illa pluribus reddiderunt nota. Ita ultima Lucis via omnia illa conjunget, demumque verè illustra reddet: dum & Res contemplandas melius ac unquam in luce sistet; & de illis Sermones omnium ad omnes exacuere; & Libros si non augebit (aucti enim sunt plus fati) depurabit tamen, ut Universalis Eruditionis vehicula fiant verissima; præstentque insuper modum, quò Libri illi per omnes Gentes & Lingvas mul-



multiplicati, & legantur & intelligentur, eoque sapientiae lumen ( quantum in hac mortalitate maximè potest ) augeatur.

13 *Eandem gradationem observare est in amplitudine usus.* *Auslophia* enim cognitionis auget lumen singulis: *Sermo* binis propriè ( qui colloquio mutuo sciendi ardorem in se aut excitant, aut fovent, aut explent etiam ) servit. *Predicatio publica* multis, sed simul & semel eodem loco & tempore congregatis. *Scriptio* jam ad absentes quoque penetrat, sive loco sive tempore absentes sint: adeoque ut mortui etiam vivos docere queant, præstat. *Typographia* seculorum lumina conjungit; antiqua omnia in lucem protrahens, nova omnia cum antiquis ad posteritatem transmittens. Quæ ne intra pomeria unius Gentis, Insulæ, Continentis, maneat, sed diffundi per universum Orbem possint, *revelavit DEus usu Magnetis modum, quò totus Mundus communibus commerciis pervius, commune veluti hospitium esset. Quod restat, Panharmonia est, omnium communium DEI donorum communes usus ostendens.* Ita videmus DEI hæc beneficia ( quamquam omnia magna, usu tamen alia aliis majora, ) eò ordine dari, ut & DEus semper majus quod det habeat, & Homo semper quod de novitate miretur, & in quo exultet, ac DEum laudet, inveniatur; pulchrò humanæ fastidiositatis antidoto.

14. Notandum & hoc, *has Lucis intellectualis Vias respondere eleganter Lucis externæ viis.* *Autopsia* enim respondet Luci primariæ, seu Radio; *Sermo*, Luci reflexæ: *Conciones publicæ*, Luci repercussæ, seu dispersæ, h. e. lumini. *Scriptura* & Libri, respondent Luci in materia terrena accensæ, ut aliquandiu durare, & huc illuc transferri, possit: ut cum candelis & faculis fisti videmus. *Typographia* repræsentat variè artificiosas Lychnorum & Candelarum, formas. *Navigandi ars* Laternas, Lumen tectum per quævis periculosa loca transferentes, assimilat. *Panharmonia* demum Ignem quendam perennem, seu flammam in extingvibilem ( qualis est Solis ) adumbrare promittit.

15. Observandum quoque, *Omnes illas Lucis Vias in Ecclesia primum apertas fuisse:* ( tametsi profani quoque eas arripuerint, & ad errores impietatemque propagandam adhibuerint: ) juxta illud Baruchi: *Hic est DEus noster, non æstimabitur alius adversus eum. Ipse adinvenit omnem viam scientiæ: deditque eam Jacob filio suo, & Israël dilecto suo* ( Bar. 3. 36. ) Nam & Lingvæ cum *Auslophia* usus in Paradiso cæpit: & Cætus sacri in Ecclesia primum inchoati: & *Scriptura prima*, quam novimus, Decalogus fuit, digitò DEI exaratus, perque Mosis manum Israël datus: & *Typographia*, juxta cum *Navigandi arte*, Christianis populis primum detecta: & *ultimam Lucem super Sionem exorituram esse prædictum est* ( Jel. 60. 12. )



& exoriri jam nostra in Sione DEI misericordiâ, videmus. Ut omnia hæc non nisi DEI dona esse, nec aliô quàm in laudem ejus transferri debere, pateat.

16 Hoc etiam attendi potest, *Quamlibet posteriorem viam ex occasione prioris Viæ, aut insufficientiæ notatæ, aut in abusum raptæ, enatam.*

17 Denique non sine aliquo humani seu desiderii, seu co-operationis, concursu. Secunda enim Via introducta est in societatem humanam, per additam homini sociam, cujus desiderio captus fuit. Tertia ex dolore invalescentis corruptionis. Quarta via (Scriptura) humane Ingenii fit inventum, an à DEO primum immediatè monstrata, non constat. Quinta & Sexta humanæ industriæ opus sunt; in exemplum, *Ut si quid ad explanandam septimam quoque Viam conferre nos posse spes sit, id ad nos nib l pertinere, miraculaque cælitus expectanda esse, ne putemus.* Imitemur potiùs Jesaiæ alacrem illam promptitudinem, qui auditâ divinâ deliberatione, *Quem mittam? quis nobis ibit?* suam mox obtulit operam; *Ecce ego! me mitte.* (Jes. 6. 7, 8.) Confisi ergò bonitate DEI, humilima obsequia non aspernantis, septimæ illius Lucis Viæ orbitas eja plenitùs inquiramus.

#### C A P. XIV.

*UNIVERSALIS LUCIS VIÆ Finis trinus ( ut in ea Omnia, Omnibus, Omnino, videri possint ) plenius explicatur.*

**D**eterminemus verò etiam meliùs, quid propriè per *OMNIA, OMNES, OMNINO* intelligendum nobis veniat: ut ne quid impossibile, aut minus necessarium, aut etiam iniquum, conari videamur.

2 *OMNIA* intelligimus, quæ DEus hominibus in præsentì Mundana Schola aut jam patefecit, aut porrò etiam patefaciet: *sive sint æterna sive temporaria; sive Spiritualia, sive corporea; sive Cælestia, sive terrena; sive Naturalia, sive artificia; sive Theologica, sive philosophica; sive Bona, sive mala; sive Generalia, sive specialia.*

3 *Æterna enim docendi sunt homines:* quia æternitati destinati finem suum, ignorare sine æternæ jacturæ periculo, non possunt. *Temporalia* tamen simul docendi, quia per hæc itur ad illa.

4 *Docendi sunt Homines Spiritualia:* quia ipsi potiore sui parte, Spiritus sunt, ne seipfos (divinam creaturam) ignorent. Quia tamen *in Corpore habitamus*, corporeisque quàm diu hîc fumus sustentamur, etiam illa hîc

G

usibus



usibus nostris destinata ignorari non debent: ut ne quid non agnitum uti sui nos frustret, aut malè agnitum, & indebitè usurpatum, noceat.

5 *Cælestia docendi sunt*: quia Cælum nobis patria est, Patrisque nostri domus illa, in qua nobis habitacula parantur. Non ignoranda igitur, gustu potiùs voluptatum æternarum inebriandi homines quàm sollicitissimè. Quia tamen DEUS cælestia illa bona nobis nunc terrenis, non verbis cælestibus enarrat, sed sub imaginibus rerum terrenarum depingit (ad infirmitatem præsentis incapacitatis nostræ condescendendo, *Job. 3. 12.*) *terrena hæc etiam, adeoque priùs, intelligi necesse est*, ut horum ope cælestia illa capiamus faciliùs: cum fieri non possit, ut metaphoræ vel allegoriæ vim percipiat, qui non priùs id, unde metaphoræ vel allegoria ducta est, intelligit.

6 *Naturalia docenda sunt necessariò*: quia sunt invisibilis divinæ Majestatis visibile *speculum*; & in multa Scripturæ S. *mysteria clavis*; & denique operationum nostrarum (ut rationales sint) *ideæ, formæ, normæ*. Qui trinus Creaturarum usus nunc inprimis notandus erit, ut summam illam ultimi seculi lucem, ex his potissimum facibus DEI effulsuram esse extra dubium sit. *Libet ergò loco huic immorari, atque illa penitiùs explicare.*

7 *Quantum ad cognitionem DEI illustri modo è Creaturis hauriendam*, non aliud jam libet quàm testimonium magni Theologi apponere, ita scribentis: *Sicuti ex ignoratione verorum Mundi principiorum, & rerum imperitia, in varios de DEO errores, multasque falsas superstitiones, ruimus: sic & verà earum rerum cognitione non parum ad veram pietatem promovemur. Turpiter falluntur illi, qui (ut August. narrat de origine Animæ) dicunt, Nihil ad fidei veritatem interesse, quid de Creaturis quisque sentiat, modo de vero DEO rectè sentiatur. Error enim in cognitione Creatoris mentem à DEO abducit. (Lanch. Hexaem. p. 4. & 5.) Atque notabile est quod Angelus cum Evangelio æterno omnes Gentes, & Tribus, & Lingvas, & Populos, ad gloriam DEO dandam invitans, (quod ultimo hoc illuminato seculo fore confidimus) à Rerum natura argumenta ducit: quia fecit cælum & terram, & mare, & fontes aquarum (Apoc. 14. 6, 7.) Pro certo ergò habeatur, quò melius patefcet Natura, eò melius esse Naturæ Conditoris Majestatem, ejusque inter omnes venerationem, effulsuram.*

8 Diximus etiam in *Scripturarum mysteria clavem fore naturalium cognitionem veram*, bono nixi fundamento. Nempe quia optimus interpres verborum quisque suorum est. *Idem ergò Scripturæ, qui Naturæ author cum sit sapientissimus DEUS: impossibile est veritatem rebus impressam, veritati verbis ejus expressæ non ubique esse consonam, & non seipsam explicare: sicubi his aut illis obscurior fuerit visa. Sibi ergò invicem Commentarii, aut Interpretis,*



*pretis, vicem præstant: Scriptura generalius, Natura particularius. Scriptura namque generaliter docet, unde sint Creaturæ? & quâ vi subsistant? Et quem finem habituræ tandem? sed Creaturæ particulares particularium Scripturæ locorum (ubi sub involucris proponuntur mysteria) sensum detegunt verum. Ex. gr. Quòd quicquid Deus in V. T. sacrificiis offerri voluit, IGNE cremari voluit, quid hoc? Examina Ignis naturam, & quò mandatum DEI tendat intelliges: scilicet quia vis Ignis triplex esse deprehenditur, Lucere, Calere, Moveri: qui typum hunc sic explicabit, ut dicat DEUM ab illis, qui se illi in victimam offerunt, requirere (1) Lumen cognitionis, id est, (ut Apostolus (Rom. 12. v. 1.) interpretatur) rationalem cultum. (2) Calorem ardoris (3) & motum boni Propositi, seu novæ obedientiæ; annon sub litera Spiritum reperisse videbitur? Noluit item DEUS Sacrificia offerri sine sale; quid hoc? Salis proprietates naturales si scias, sensus mysticus fugere te non poterit. Nempe quia SAL essentiæ suæ præ omnibus corporeis Creaturis tenacior, ob illamque tenacitatem velut incorruptibilis est (nec enim vel ipse putrescit, vel etiam quibus aspergitur putrescere finit.) Atque si quando mutare formam externam cogitur (qualiter illi in contraria delato accidit: Aqua enim solvitur & diffluit, Igne diffilit) naturam tamen non mutat, nec amittit. (Nam & aqua illa, quæ salem solvit, salis naturam imbibere necesse habet: & sal igne attenuatus, inque atomos redactus, idem est.) Annon ergò Deus hoc Symbolo cultoribus suis constantiam, per saxa per ignes, commendare, credetur? similium plena est Scriptura: quæ intelligentiæ lucem veram nisi à naturalium notitia vera habere nequeunt: ut jam Parabolas taceam. O quantum hoc lumen erit, si totum Scripturam ad Naturæ harmoniam revocare, Naturam verò per Scripturam verè symbolizare scierimus!*

9 Etiam dixi, In Naturalibus nobis Actionum nostrarum ideas præscribi: eòque opus esse Naturæ processus sine errore cognosci, ut nobis nostri processus citra errorum ambages, peragi possent. Viderunt id pridem, qui Artem Naturæ imitatricem, & filiam esse; item qui Naturam esse ducem optimam dixerunt, quam qui sequatur errare non possit: & quæ plura in eum sensum. Sed nunquam id equè patuit, ut jam ope DEI (post accensas universalis harmoniæ faces) pateat; Omnes priorum seculorum (in Artificialibus, Moralibus, Politicis & Ecclesiasticis) defectus & errores à naturalium ignorantia provenisse: Emendationemque Rerum, quam exspectamus, à melius observatis sapientiæ DEI circa Creaturas viis, proventuram. Ad eò interest ea, quæ nobis DEUS pro normis dedit, aut sciri aut ignorari. Stet ergò quod posuimus, Naturalia omnia docenda esse.



10 *Sed nec Artificialia prætereunda* : tum quia Artes Naturam exprimendo, aut etiam comprimendo & captivando, ad fatendum nobis arcana sua subinde cogunt, notioraque reddunt : tum quia commoditatibus Vitæ ampliandis (quibus Illuminatum Seculum abundare potius, quàm deficere debet) ferviunt.

11 *Docenda quoque dixi Theologica & Philosophica*, h. e. tam ea quæ Fidei, quàm quæ Rationis & sensuum sunt. *Quæ Fidei sunt, docenda omnino, quia justus sua fide vivet; hæc una æternæ vitæ via est. Quæ Rationis sunt ignoranda non sunt* : quia his distingvimur à brutis, & ne nobis falsâ fide ab impostoribus irrationabile aliquid facilè persvadeatur, præmunimur. *Sed nec Sensualia ignoranda* : quia Rationi viam sternunt, illamque à deceptionibus communiunt. *Sensus ergò quia ancillantur Rationi, & Ratio Fidei, nihil horum à Luce perfectâ abesse poterit* : aut certè Animos illuminandi instrumentis destituemur. Nec enim infidelibus de Fide loqui possum, nisi verbis rationalibus : rationabiliter illis, quàm nihil nisi undique verum & saluferum Mysteriis Fidei nostræ contineatur, ostendendo. Quia nemo credere, quod incredibile esse putat, potest : nec aliter ut credibile esse statuat, quàm rationum aliquâ vi effici potest. *Ut igitur cum Infideli de Fidei mysteriis loqui possim, prædisponendus est inferiorum cognitione* : quò iisdem mecum terminis assuetus, intraque harmoniæ cancellos sese continere condocefactus, & audiat reliqua patientius, & cognoscere aveat (inescatus jam harmoniæ svavitatem) promptius, tandemque veritati rectè perspectæ cedat lubentius.

12 *Nec est cur objiciat aliquis : Apostolos non à Philosophicis ordiri solitos, sed recta in Fidei mysteria ivisse.* Illi enim ut erant extraordinaria DEI organa, ita & extraordinariâ instructi virtute, ad percellendum verbis & factis miraculosis omnium sensus, & captivandum sub Fidei obsequium omnem intellectum. Nunc verò nos de ordinaria homines erudiendi via (quanquam illa non nisi monstrante DEO inveniri poterit) deliberamus. Sed neque negari potest, *Extraordinaria illa organa majores edidisse effectus; quoties in magis prædisposita subjecta incidebant.* Quemadmodum nec hoc, *DEum ipsum supernaturalibus suis donis illustriores solere efficere eos, qui inferioribus, sensualibus & intellectualibus, benè prius exculti fuerint.* Quod in *Mose* (erudito prius, quàm à DEO vocaretur, omni *Ægyptiorum sapientiâ*, verbisque ac operibus Potente, *Act. 7. 22.*) *Daniele* item, *Salomone*, *Paulo*, *Magisque* illis quibus Christi adventus primò innotuit, & per illos aliis, evidens est. *Tam non aspernatur divina sapientiâ gradatim ire, & sua opera suismet superadificare fundamentis; benèque usurpata inferiora dona Majoribus*



*Majoribus superadditis coronare* (Mar. 4. 21, 25.) *Quin & Librum revelationum suarum, Scripturam S. à Physica (h. e. à creati Mundi descriptione) ordiri postea verò subinde Naturalia, Artificialia, Mathematica (de numeris, mensuris, ponderibus) interspargere placuit Deo. Quo fine, si ista ad animos Spiritualibus mysteriis meliùs capiendis præparandum vim habent nullam? Non sine causâ igitur Augustinus, ut ne quis numerorum & scientiarum ignarus divina scrutari mysteria præsumat, admonet. Cyrillus verò Philosophiam gentibus ut Catechismum ad Fidem datam fuisse, dicit: (lib. I. contra Julianum.) Addit Clemens, Alexandrinus: Ut Judæis ad fidem in Christum pædagogus fuit Lex, sic Philosophia gentibus* (Stromat. lib. I. c. 3.) *Et Huartus (in Scrutine Ingeniorum, pag. mihi 10.) Magnum errorem iierrant omnes, qui existimant scientias supernaturales non requirere præviam quandam subjecti dispositionem, antequam infundantur.*

13 Tandem, hoc etiam sine novo in lumine Philosophiam novam constitui necesse erit, ut ne antiquam illam Græcicam Philosophiam, tot modis deprehensam mancâ & hiulcâ, confusam & præposteram, streperam tamen & impetuosam, & quæ tot damna Christianismo dedit, manere necesse sit: semperque Israëlita ad exacuendum vomeres & ligones suos, securæque suas, & rutra sua, ad Philistæos descendere cogantur; sed ut domi gladios & omnem necessariam suppellectilem habeant, nec die prælii deficient (1 Sam. 13. 19, 20, 21, 22.)

14 Dixi etiam docenda esse pleno in lumine Bona & Mala: quod posterius primo intuitu mirum videri poterit, & absurdum. Sed non aliter expedit: quia omnis Scientia, Mali etiam, bona est, (Deus quippe & Angeli mala etiam sciunt, nec ideo tamen mali: ) & utilis est, adeoque necessaria. Bonorum quidem ideo, ut desiderari, quæri, amari, & sollicitè custodiri (ignoti nulla cupido) possint: Malorum verò, ut odio haberi & vitari queant. Quod si bona sequi & mala fugere debemus, internosci profectò accuratè alterum ab altero necesse est: id autem sine accurata utriusque præcognitione quomodo? Diabolus in Paradiso sola ostentando bona, & occultando mala, decepit hominem. Ergò ne ampliùs decipiat, detrahenda est fucatis bonis larva: ut omne malum quale in seipso est, tale appareat nobis: atque tum non alliciendi & decipiendi, sed deterrendi & à ruina præmonendi, vim habebit. Verissimum est, nihil hunc usque in diem perniciosius esse hominibus, quam latentia hic & illic mala ignorare: à quibus ignoratis dum sibi non cavent, in illa incidunt. Hinc Diabolus constanter, ut homines quid bonum & quid malum sit nescientes, imò bonum malum, & malum bonum esse credentes, his ignorantia catenis libenter se constringi patiantur, quærit.



*Deus contra, bona & mala semper ostendit; bona mandans, & præmii loco promittens; mala verò prohibens, & in pœnam denuncians. Hæc itaque divinæ sapientiæ vera & plena erit imitatio: Scire bona, & facere; scire mala, & fugere: quò exactius utrumque, eò melius. Ut enim bonum quantò melius cognoscimus tantò ardentius deligimus; ita malum, quantò certius perspectum habebimus, tantò cavebimus diligentius. Non enim Humanæ naturæ est, (ne corruptæ quidem) perniciem sibi ultrò accerere: sed propter festinatum alicujus verè apparentis, boni desiderium, aliud sub illo verè latitans malum aut non animadvertendo, aut quia pœna non illicò infertur, elabendi spem sibi fingendo (quò observat Salomon, Eccles. 8. 10, 11.) seipsum fallere. Ergò ne tam stupidè mens nostra seipsam fallere amplius possit, verè mala verè illi in conspectu ponenda sunt: quò non horrescere, & à re perniciem certam sibi certò illatura sese non retrahere, non possit. In summa: ignorantia per se malum est, quia Tenebræ: scientia, mali etiam, bona est: quia Lumen. Per accidens tamen (quia corrupti sumus) quædam nescire melius est. Ergò & occulta re quædam (curiosa & spurca) bonum erit.*

15 Dixi tandem, *Docenda esse Generalia & Specialia; addam, Specialissima etiam, quantum potest.* In his enim verè scientia Rerum, scientiæque usus, consistit, non in generalibus. Et quò quis plura particularia novit (modò exactè, re, non opinione) eò uberiorem scientiæ suæ fructum reportat. Particularia tamen sola per se quia dispersum quiddam sunt, ordinis causâ in universales quosdam colligi fascis necesse habent.

16 Hactenus quæ illa OMNIA sint, quæ in Luce universali doceri ac disci debebunt. Dum verò Lucis hujus ultimæ participes fieri OMNES suademus, non hoc volumus ut Opifices etiam, Rustici, fœminæ, libris ex toto se dedant: sed ut nemo illorum negligatur in illis, quæ necessaria sunt omnibus. Puta ut Se, Creaturas, Deum, nemo stupidè ignoret: Prætereaque ad Specialem Vocationem suam quisque instruat; ut qui præest præesse ac regere; qui subsunt, subesse ac regi, sciant. *Omnes inquam quia homines sunt, humana; quia imago DEI, divina; quia æternitatis candidati, æterna, docendi sunt; aut: certè satius fuisset pecudes nasci, quia res à seipsa degenerans, seipsa deterioribus deterior fit.* Neque Schola Mundi unquam in ordinem divinæ intentioni congruum redire poterit, nisi omnes huc missi illa agere, ob quæ missi, incipiant. Incipere autem non poterunt, si perpetuò in tenebris suis relinquentur, nec illis verè prospiciendi veras subministrabunt occasiones, qui eas nòrunt: qualiter noseas, DEO monstrante, prospicere incipimus. Melius itaque rem agere curæ nobis sit, quàm Philosophis

Græcis



Græcis fuit: quibus Origines (lib. 6. contra Celsum) exprobrat, quod præ superbia similes essent illis Medicis, qui neglectâ plebe opulentioribus solis mederentur. Sed quid aliud faciunt hodiequæ, qui laboribus suis alicui tantum hominum parti (sive quæ eos sectæ suæ limitibus inclusit, sive quæ sibi mercedem conduxit, aut cui forsân alias placendi occasiones captant) prodesse laborant? Nos humilis charitas omnibus æquè bene velle, si possumus, cogat: Christi nostri & Apostolorumque ejus exemplo, sapientisque Syracidæ monito: *Theauri abditi, & sapientia absconditæ, quænam est utilitas?* (Eccles. 20. 31.) Et Christi regula est: *Nemo accendit Lucernam, ut reponat sub modio, sed super candelabrum, ut luceat Omnibus qui in domo sunt.*

17 Si sint qui dicant (esse autem non ignoramus) *Quid tandem futurum est, si omnes efficiantur docti? vilescant eruditi & eruditio, sequeturque confusio statuum, quilibet undelibet ad docendum alios, aut de Religione & Politia judicandum, sese proripiente.* Resp. 1. Miserum illum statum esse necesse est, sive Reipublicæ, sive Religionis, cujus securitas à subditorum ignorantia & servitute pendat! *Vera Religio, & vera Politia* (quales universo Mundo optamus) *res lucidæ sunt; securitatem suam à Luce, non à tenebris, accipientes. Non hoc tamen quæritur, ut omnes efficiantur docti* (id enim nec ingenium cujusvis admittit, nec patitur conditio & status, nec ulla requirit necessitas) *sed ut omnes efficiantur sapientes ad salutem* (2 Tim. 3. 15.) Quæ sapientia ut non tantum requirit apparatus, quantum Eruditio, ita non habet cur invideatur cuiquam, nisi à mente maligna, DEO gloriam suam, Creaturæ autem rationali beatitudinis cum Creatore suo consortium, invidente. Cujusmodi perversitas, damnatis Spiritibus propria, *ab omni humano corde abesse debet.*

18 *Nos cum totum populum Jehovahæ prophetare* (h. e. voluntatem DEI patefactam clarè intelligere) *optamus, hoc optamus.* Primò, ut Saluti omnium prospectum sit; nec si qui peribunt nostrâ pereant culpâ, sed suâ. Secundò, ut Paci & tranquillitati publicæ consulatur, uno quoque divinæ vocationi (quam intelliget) se accommodante, & suo se loco pacificè continente. Intelligent enim omnes singulorum salutem (suam etiam) à communi omnium salute pendere: hanc autem imperturbatam servari non posse, nisi quisque statione suâ se tueatur, nec eam deferens, nec aliis suam præripiens. Tertio, dum omnes sapere optamus, ideò optamus ut Lux hæc (prorsus universalis facta) & conservari in præsens, & propagari ad posteros, certius possit. Nisi enim infima etiam plebs necessaria sibi ad salutem, omnemque rerum ordinem bonum intelliget, quis eorum liberos talia docebit? quis eorum inspectorem aget? Tandem quod de Doctorum à plebe



plebe contemptum inferunt, contrariè potiùs res se habebit. Nempe, nullum præsentius remedium dari atqve hoc ipsum, ut plebs quid doctum esse sit, non ignoret. Nunc enim plebs doctos non miratur, quia non intelligit: tunc suspiciet, quia in illis flammam lucis illius, cujus apud se scintillas videbit, & iis cum voluptate fruetur, considerabit. Ingens enim manebit discrimen, inter populariter & fundamentaliter, atqve ex professo, doctos: qualem innuit DEUS ipse, dum Lunæ quidem lumen ut lumen Solis fore prædicit; addit tamen, *Lumen Solis fore septuplo majus*.

19 *Tertius scopus Lucis universalis est, ut res doceantur OMNINO, h. e. non perfunctoriè, & dicis ergò: sed ita, ut quicquid docetur, sciatur etiam.* Et quilibet Scholæ hujus discipulus aliquovisqve progressus Magistris suis dicere queat, quod Samaritani illi primæ Concionatrici suæ; *Fam non propter sermones tuos credimus, sed quia ipsimet cognovimus & scimus.* Cur enim Scholæ mundana discipulos semper manere discipulos velimus? *Augustinus inter stultos recenset illos, qui libentiùs discunt, quàm norunt; libentiùsque certant, quàm vincunt; & malunt vesci quàm saturari: h. e. qui media amplectuntur non propter finem; occupantur tantùm ut occupentur.* Ut igitur sapiamus, & nobiscum vel universus Mundus, *doceamus homines (in hac jamjam reformanda Sapientia DEI Scholæ) discere non ut discant, sed ut sciant; scire autem non ut sciant, sed ut agendo exerceant; exercere denique non ut exerceant solum, sed ut actionum omnium finem, qui est quies & beatitudo, consequatur.*

20 Quod erit, si doceantur, *Priora priùs, & Potiora potiùs; Omnia verò autopsiâ & propriâ Praxi perpetuâ.* Priora priùs, i. e. gradatim, à primis & imis, per media, ad ultima & summa, sese elevando. Ita enim demum clara fiunt omnia, dum alia ex aliis ultrò fluunt; & firma, dum alia aliis superinnuntur. *Potiora potiùs: non permittendo ut minùs necessaria remoram faciant, & magis necessariis locum intercipient: sed leviora leviùs, severiora severiùs ut agantur, ad principaliores fines respectu perpetuò.* *Autopsiâ propria* hoc vult, ut hominibus scitu necessaria non pro autoritate impereamus (Scientia enim libera res est, mentes liberas influere gaudet: ) nec enarratione solâ, quantumvis accuratâ, offeramus, sed res ipsas immediatè, quantum potest, sensibus præsentemus: *ut omnes videndo videant, & palpando palpent, & sciendo sciant, ita esse unum quodque, uti est.* Hoc enim demum est scire, rem quemadmodum in seipsa est, scire: non quemadmodum esse dicitur. *Scire aliquid per alienam rationem, non est scire, sed credere: sicut manducare alieno ore, non est manducare, sed manducare alios videre.* Ut ergò non mihi placenta sapit, quam edis tu, & vinum quod bibis tu;



tu; nec cæcus picturam videt quam videre se videns ei narrat; ita quod alter scire se, vidisse, legisse, expertum habere, mihi narrat, non propterea id ego sciam, sed vidisse, legisse, expertum esse illum, credam. Atque tali ferè scientiâ (quæ fide docentium authoritati adhibendâ, atque ita alieno potiùs quàm proprio intellectu constat) acquiescebat hucusque (quanquam subinvitus, & subinde tumultuans, claustraque captivitatis perrumpere gestiens) Mundus: quia pleraque talia, obscura & confusa, ad nos à prioribus illis seculis transmissa fuere. At verò tempus est, ut à rudimentis ad perfectionem assurgentes, non amplius simus pueri fluctuantes, & nos omni vento doctrinæ circumferri patientes; sed ut sapiamus viriliter, ne sapientiam nostram vel vanitatis & fuci, vel noxiæ ullius imperfectionis, convincere possit quisquam.

21 Id verò tum demum erit, cum ab omnibus humanis authoritatibus averfi, DEum solum, tanquam unum, summum, solum sufficientem, Veritatis doctorem, sequemur: non aliunde Scientiam nostram & Fidem, quam immediatè ex authenticis ejus fontibus (Naturæ, Scripturæ, Conscientiæque tabulis) idque propriis vasculis nostris (propriis sensibus, propriâ ratione, propriâ fide) haurientes. Absit itaque, ut posthac per humanorum de rebus testimoniorum & authoritatum labyrinthos Mundum circumducamus. Absit, ut nos duces præbeamus cæcis, (cæci eâ ratione mox futuri & ipsi;) Librorum DEI apographa hæc & illa, pro ipsis autographis & ipsi legendo, & aliis obtrudendo. Digni autem sunt decipi, qui homines potiùs quam DEum sequuti, umbris pro rebus acquiescunt. Sed tempus est ut facie relectâ in Christo (per quem & fecit, & dixit, & inspiravit, atque inspirat Pater, quicquid factum, dictum & scriptum, inspiratumque est) propriis oculis vias, viarumque exitus, ante se videant omnes, inque lumine DEI lumen videntes, per semitas lucis ambulent.

22 Ad cujus tamen lucis augmenta & securitatem hoc etiam faciet, ut humana simul inventa, aut figmenta, in conspectum admittere nihil trepidemus. Si enim de vero participant, communem veritatem firmabunt: si aberrant, ad lucem hanc clarissimam collata evanescent, sicut umbra lumine admoto solet: eoque etiam modo mendaciæ & vanitatis confessione Veritati testimonium dabunt. Hoc volo; ad universalem hanc lucem (quæ primariò quidem & sufficienter ex Lampadibus DEI, factis, dictis, & inspiratis divinis, exsurgit) undique roborandam, admitti etiam posse humanæ sapientiæ lucernas, sive flammantes, sive fumigantes: non amplius incommodatas, profuturas potiùs suo modo illis, qui divino in lumine ambulant.

23 Praxin denique autopsiæ adjunximus: Quia non sufficit propriis sensibus

H

sensibus



senibus aliquid usurpasse: iteratione crebrâ (contemplandorum contemplando, & agendorum agendo) opus est ad certitudinem usque infallibilem. Quod eô tendit, ut *Scholam Mundanam post hac non alio statu, quàm totam exercitiis ferventem, concipiamus*; indeque demum *πανουργίαν* (splendorem universalem) expectemus.

## CAP. XV.

*VIIÆ LUCIS universalis requisita quatuor: Libri universales; Scholæ universales; Collegium universale; Lingua universalis.*

**F**ixis Panaugiæ finibus, media jam accommodabimus. Quorum quatuor se omninò offerunt: *Libri universales, Scholæ universales, Collegium aliquod virorum sapientum universale, & Lingua universalis*: Omnia nova, novâ cura à fundamentis excitanda.

2 Non quidem nobis jam defunt *Libri universales*, quibus omnia continentur, *Mundus, Scriptura, Conscientia*; neque *Schola universalis*, quam nemo effugere potest, *Vita præsens*: *Collegium etiam universale*, Angelorum & hominum sanctorum, piè in gloriam Creatoris sui consentientium agmina: *sola communis Lingua*, quâ nos intelligamus omnes, deest, sed non defuit olim, in statu innocentiae. In quo si perstitissemus, non aliis nobis utique Libris, non aliâ Scholâ, non aliâ collegiali Societate, non aliâ Lingvâ esset opus. Sed *quia aberravimus, & per infinita dilapsi vagamur, regressuque opus est: opus & recollectione quâdam universali, instrumentisque nos ita colligentibus.*

3 Cujus modi quatuor illa, DEO jubente, esse poterunt, *novi Libri, novæ Scholæ, novum Collegium, nova Lingua: omnia verè universalis, & catholica, omnibus hominibus ad universales fines jam dictos dirigendis accommodata. Libri enim quos desideramus, nihil aliud quàm introductoria quædam in Libros DEI, ad illos jam tandem meliùs & veriùs intelligendum, esse debebunt. Et Scholæ quas optamus, nihil quàm majoris Scholæ, Vitæ ipsius, pædagogia erunt: id solum, ut nemo in mundo aliter quàm in Schola sit, nemo non quantum quantum proficiat, quærentes. Collegium item quod suademus, hoc sibi solum habebit propositum, ut omnibus ubique hominibus associandi se sanctorum agminibus, occasiones non deesse possint. Lingua denique*  
illa



illa universalis hoc solum, ut nos in præsentī jam hâc sub cælesti societate melius intelligamus, & in bono omnes mutuò ædificemus, præstare laborabit.

4 Hec autem omnia mediis illis quæ diximus obtentum iri, planè confidimus. Libri enim universales, (omnia scitu necessaria verè, breviter, dilucidèque complexi) si condantur, fiet ut qui hos leget & intelliget, ignorare necessarium nihil possit. Sed hi ut ab omnibus legi & intelligi queant Scholæ præstare poterunt, si omninò universales fuerint; in quibus nempe omnis Juventus liberè doceatur, minoribusque præludiis (libellis ætati primæ aptis) ad majora illa omnia, tum legenda inescetur, tum intelligenda præparetur. Scholæ autem ejusmodi ut ubique gentium erigantur, Collegium illud virorum bonorum & doctorum, in id conspirantium, & sese majorem semper in numerum, à gente in gentem, diffundentium, præstare poterit. Qui Sapientes viri ut commerciò mutuò inter se quacunqve è gente & lingua fuerint, agere possint, Lingva communis efficiet.

5 Hactenus habuimus Libros varios, per argumentorum segmenta variè dissectos, variè mutilos & defectos, sibi invicem variè contrarios, plerosque omnes non humano generi, sed partibus & sectis, servientes. Jam itaque cogitandum est de Libris verè catholicis, omni possibili facilitate, veritate autem summâ, omnia necessaria explicantibus, eòque sectas non foventibus, sed tollentibus.

6 Habuimus item Scholas alicubi tantum erectas, & aliquid tantum (prorsusque minimam eorum ad quæ discenda in vitam mittimur, partem) docentes: reliqua hominum turbâ ad onera, & ad pastum, pecorum ritu abjectâ. At verò stabilita docendi arte (ut quivis, quemvis, quidvis docere queat) ubicunqve homines erunt, scholæ esse poterunt, ut nemo relinqvatur incultus.

7 Hactenus excogitabantur varia Collegia, Societates, Fraternitatesque, in Philosophia & Theologia, clam palam: cum nonnullo Religionum & Philosophiarum, sed particularium, profectu. At quia quod nunc agitur universale est (tempus enim esse sparsa colligendi, & summas omnes in summarum summas colligendi, ante vidimus) erigendum erit Collegium Catholicum, inter totius Orbis Eruditos: quorum opè & curâ quicquid unquam, & usquam, DEus in lucis & veritatis incrementa aut jam revelavit, aut posthac revelabit, omnibus fieri queat commune, nullo Terræ angulo, gente, lingua, hominum ordine & statu, neglectis.

8 Habuimus item Lingvas varias, confusionum nostrarum continuandarum, & semper in magis augendarum, medium aptissimum. Hâc enim in-



fictâ Humanæ insolentiæ pænâ, verè Babylon facti fuimus omnes: plus inter nos invicem quàm mutæ, bestia divisi. Illæ enim quantum opus est nutibus se intelligunt: Homo cum ignotæ lingvæ homine quid occipiat, prorsus nescit. Hinc Augustinus, *Nemo nostrum est (inquit) qui non cum cane suo, quàm cum homine ignotæ lingvæ, conversari malit.* Cùm ergò tot per Orbem diversæ sint Lingvæ quot Gentes (quarum numerum ignoramus) eòque ad plerasque mundi gentes aditus nullus, obice hoc non remoto, pateat: etiam atque etiam de constituenda aliqua una, omnibus communi, cogitandum erit. Quæ si reperiri, usque introduci poterit (sicut & priora illa) habebitur quod quæritur, ad omnes omnia necessaria docendum Via patentissima.

9 *Quatuor hæc (Libri catholici, Scholæ catholice, Collegium catholicum, & Lingva catholica) quia luci intellectu per totum Intellectus humani orbem spargendæ media destinantur, à Luce quoque denominationem accipere possunt: ut Libri lucis, Scholæ lucis, Collegium lucis, & Lingva lucis dicantur: non inappositè. Libri enim universales quid nisi LAMPADES erunt, Lumen illud universale monstrantes? & Scholæ universales quid nisi per domum Mundi suspensa, & lampades illas omnium qui in domo sunt usui exponentia CANDELABRA? & Eruditi sic universaliter correspondentes, quid nisi, LUCIS MINISTRI? Candelabra scilicet illa suspendentes, oleum affundentes, flammam depurantes? Lingva denique universalis, quid nisi lucis illius quidem PABULUM? (h. e. purissimum Oleum) Ingeniorum verò quoddam Collyrium, ad rerum rationes melius pervidendas Mentium aciem eleganter clarificans?*

10 Atque si ad sacra alludere libeat, posset Salomonicum illud drama de Sapientia domum sibi ædificante Altilia sua mactante, & Vinum suum miscente, instruenteque Mensas suas, & emittente puellas suas ad invitandum per collegia & loca excelsa Urbis (Orbis:) ut venientes fatui etiam & dementes comedant & bibant (Prov. 9. 11.) huc accommodari. Paratas enim illas dapes Res ipsæ sciendæ, per Volumina sua digestæ, variarumque deliciarum vino perfusæ, representabunt: sicut mensas instructas Scholæ. Puellæ verò ad sacrum hoc Sapientie convivium invitantes, erunt Collegæ, puro & Virgineo animo omnes homines ad sacras sponsæ Sophiæ nuptias sollicitantes. Invitandi denique formulas novas, & efficaces, Lingva illa nova, omnibus facillè intelligibilis, suppeditabit. Sed jam de ratione illa singula constituendi propius videamus.

CAP.



CAP. XVI.

LIBRORUM Universalium ratio & methodus.

**L**ibros universales esse volumus *omnium scibilium veras & ordinatissimas pandectas*. Triplex itaque illorum erit virtus: *Plenitudo, Ordo, & Veritas*. *Plenitudo*: ut nihil non eorum quæ ad temporis & æternitatis statum faciunt, contineant, sine hiato noxio ullo. *Ordo*; ut omnia à primis, per media, ad ultima fluant, sine discohærentia ulla. *Veritas*: ut omnia enarrentur ita ut sunt, aut factæ sunt, aut fiunt, sine falsi & vani mixtura ulla.

2 *Cujusmodi Libros* propter diversa objecta, diversosque fines & usus, tres esse oportebit: quia omnia illa, quorum scientia in unum collecta universale illud Intellectûs lumen excitare debent, *trifariam considerantur*. Nempè.

I. *Aut in radicibus & fontibus suis*, prout Rerum Universalitas secundùm generales ideas, in abstracto complexu suo sibi intra se cohærens, æternis quibusdam ordinis & veritatis vinculis colligata est.

II. *Aut in ramos & rivos suos diffusa*, h. e. in particulares eventus, prout omnia in ipso Mundi fluxu secundùm datas ideas procedunt, aut ab illis recedunt.

III. *Aut denique in variis evagationibus, similitudinibus & Umbris, sive de rebus testimoniis, prout hic, ille, iste, de rebus sibi observatis, visis, deprehensis, cogitationes suas mundo communicavit*.

3 Cognitio rerum primo illo modo, facit homines *sapientes*; secundò, *peritos*; tertio, *doctos*. *Sapientis enim est, multa scire universaliter*: h. e. tenere communes rerum formas, seu ideas, & secundùm illas de particularibus quibusque judicare. *Periti verò est multa scire particulariter, per experimenta certa*. *Docti denique multa scire ex traditione* (sive universaliter fuerint sive particulariter) pro ut apud Authores descripta exstant.

4 Ad hæc tria genera quia Omnia omninò revocari possunt, quæ sciri possunt: ideò tres *Libri constituendi sunt, realiter à se divisi*. Quorum,

*Primus dicatur PANSOPHIA*: ipsam æternæ veritatis medullam, h. e. omnem fundamentalem rerum omnium, ut in ideis suis sunt statum (quomodo ab uno principio per unius ordinis cancellos, ad unum æternitatis fixum statum, eant & veniant omnia) complectens.

*Secundus dicitur PANHISTORIA*: omnem rerum particularium varietatem,



tem, h. e. omnes particulares rerum actiones, casus & eventus, (quæ rescitæ sunt hæctenus) à rerum ortu hucusque, explicans.

*Tertius PANDOGMATIA vocabitur*, Opiniones de rebus variorum varias, ubicunque & quomodocunque proditas (seu veras seu erroneas) recensens.

5 *Pansophia itaque continebit omnia omnibus sapere volentibus simpliciter necessaria*: ut Homines per claram lucem *Rerum omnium fines*, & ad fines *media*, & *mediorum infallibilem usum*, videntes, omnia sua in fines bonos disponere, ad illosque mediis bonis & certis certò grassari (quod demum sapere est) valeant.

6 *Panhistoria tradet, si non æquè & simpliciter omnibus necessaria, suo tamen modo necessaria*: quia particularem rerum cursum (in Naturalibus & artificialibus, Moralibus & civilibus, Spiritualibus denique) particulatim scire, universalem sapientiam & firmabit, & illustrabit, & augebit validè.

7 *Pandogmatia non tam necessaria quàm utilis erit illis, qui Eruditionem plenam desiderabunt, illique rei liberius vacare poterunt*. Quemadmodum enim ad locum aliquem festinanti viam rectam eò ducentem scire satis est, etiamsi ambages bivia, & diverticula illa quæ circa viam illam obveniunt, ignoret: & tamen ambages & diverticula illa Viatorem nosse, non solum non nocet, sed & Viæ veræ certiolem, errorumque securiolem, facit: ita fines Vitæ nostræ, & media eò disposita, verè nosse, satis est illi qui ad beatitudinis metam festinat, etiamsi quàm variè alii aberrant, aut oberrent, ignoret; nosse tamen etiam varias aliorum aberrationes Veritatis nos magis securos reddere poterit. *Communi itaque Veritati magis stabiliendæ serviet, nulla Gentium, Religionum, Philosophiarum, Sectarum, Scriptorum, placita ignorare.*

Quicquid enim veri afferunt, id nostris firmandis conducet: quidquid falsi, irrationabile fuisse apparebit. Denique, spectare ibi erit (in *Pandogmatia*) Lucis & Tenebrarum quovis ævo & ingenio luctam, omniumque humanarum cogitationum (si speculatoribus suis permittantur, neque se intra rerum ipsarum cancellos pressè contineant) vanitatem.

8 *Breviter: Pansophia erit instar perpetuarum de rebus omnibus Regularum: Panhistoria instar recensitorum (sufficienti inductione) exemplorum: Pandogmatia instar exceptionum, aut certè variarum super varios Veritatis Textus glossematum. Dicendum verò est de singulis explicatiùs aliquid.*

PAN-



## P A N S O P H I A.

9 Liber hic nihil aliud erit, quàm *Librorum DEI, Naturæ, Scripturæ, Animoque innatarum Notionum, apographum ordine digestum*: ut qui hunc leget & intelliget, legat simul & intelligat *Seipsum, Rerum Naturam, DEum*. Erit itaque *Liber* (1) *universalissimus*, omnia quæ homini ad hanc & futuram vitam scitu & creditu, factu & speratu, necessaria sunt, in conspectu omnium pandens. (2) *Liber regularissimus*, nihil usu receptum respiciens, Res tantum ipsas: ut quæ harmoniâ seipsas connectunt illæ, eadem ille Mentis conceptus necat & connectat. (3) *Liber Ordinatissimus*: h. e. ex positis semel & concessis omnibus principiis sic omnia deducens, ut & fluant perpetuò alia ex aliis, & nihil eorum in dubium vocari, nihil non concedi, nihil non cum lubentia & gaudio, admitti (tanquam communis Veritas) possit. Constructur itaque totum opus ex principiis per se claris, & consequentiis necessariò fluentibus: intertextis subinde *sententiis illustribus, generis humani consensu jam comprobatis*. Ita discrimine perpetuo inter ea quæ necessariò, & quæ contingenter vera sunt, observato, cavebit quidquam per opinionem ponere, sed sola illa quæ *Sensuum, Rationis, Divinæque Revelationis examen*, tam certò sustineant, ut in contrarium nihil adedò afferi, nec assensus ullò modo negari, possit.

10 *Finis libri hujus erit, non tam Eruditos reddere, quàm sapientes*: h. e. intelligentes suos & rerum omnium fines, & ad fines media, & mediòrum legitimum usum: ut à scopo beatitudinis suæ, temporariæ & æternæ, nemo aberrare possit: nisi qui datâ operâ in avia potius ruere, quàm per lucis & veritatis planam & splendidam viam, incedere, malit. Analyfi itaque Universi institutâ perpetuâ, verâ, genuinâ, sistet mentibus in conspectu quicquid ubique est, ordine nativo! ut unde omnia veniant, & quò tendant, & per quas vias (sive eant, sive aberrant, & quò tandem illa etiam quæ aberrant recessura sint) in clara luce sit.

11 In summa, *Pansophiæ liber debet esse summæ plenitudinis*, extra cujus limites nec fit, nec cogitari possit, quidquam. *Et summæ facilitatis*, cujus omnia majora ab Idiotis etiam quibusvis (propter perpetuam à primis ad ultima, ab imis ad summa, gradationem) perceptibilia sint. *Et soliditatis summæ*, extra cujus fundamenta nihil relinqvatur. De quo meliore jure dici possit, quod Cicero de Philosophia Stoica elegantius quàm veriùs dixit (5. de finibus: ) *Mirabilis est apud illos contextus Rerum. Respondent extrema primis, media utrisque, omnia omnibus. Quid sequatur, quid repugnet, vident;*



vident; & ut in Geometria prima si dederis, danda sunt omnia. Caveat tamen πανσοφία fictam harmoniam, ordinem, veritatem (quam in rebus non inveniatur, sed rebus affingat) sequi: sola pandat quæ demonstrare clarè potest. Quæ ignorat, fileat: donec DEUS & dies illa quoque revelaverit. Castigaturum enim seipsum Pansophicum lumen, semper in majus & melius, è sequentibus patebit.

## P A N H I S T O R I A.

12 Nihil hæc erit aliud quàm omnium in Pansophia per generales ideas jam descriptarum (naturalium & artificialium, moralium & Spiritualium) rerum cursus, theatrum illustre: exhibens Formarum naturalium cum Materia, & Substantiarum naturalium cum invicem, & Artis cum Natura, & Legum cum consuetudinibus, & Prudentiæ humanæ cum rerum eventis, & Sapientiæ divinæ cum humana stultitia, & Gratiæ cælestis cum ingratitude Mundi, & Tolerantiæ Numinis cum protervia nostra: & Justitiæ cum obstinatione perpetuas veluti luctas. Quâ nempe constantiâ leges suas servet Naturæ; aut quâ varietate excurrendo ludat: & quibus Experimentis rerum occultæ vires vestigatæ sint? & ubi successu frustratæ? Tum Historiæ rerum humanarum, maximè in Civili & Ecclesiastico statu; ut quicquid unquam memorabile accidit, quod nobis & posteris imitationi aut cautioni servire possit, ne ignoretur.

13 Imprimus autem, Opus hoc in colligenda Historiâ naturali summâ fide & diligentia versabitur: cum ibi potissimum scientiæ nostræ bases, Pansophiamque veram & perfectam condendi fundamenta, lateant: Naturæ autem viæ subtilissimæ sint, & in illis varietas mirabilis, & sub similibus schemate dissimilia sæpè, adeòque contraria veniant, & vice versâ. Multa etiam sunt admodum fabulosè tradita; quæ sine experimentis admittere seipsum ludificare est.

14 Et quia in tanta rerum multitudine nullius hominis vel industria, vel ætas, ad omnia sufficiunt, nec usquam uno in loco omnium copia datur: & quædam experimenta non nisi lentè, per annorum & seculorum decursum (ut in Chymicis & Astronomicis) procedere possunt: necessariò Historiâ inductivâ opus est, quâ omnia quæ unquam exactè observata & infallibiliter vera deprehensa sunt, in unum fideliter collecta ob oculos ponantur: quò & singulorum sufficienti inspectione, & ad invicem collatione, ipsæ universales Naturæ leges innotescant. Talem verò Inductivam historiâ nisi apud Astronomos vix usquam habemus: ob quod Naturæ studium multis salubris



bris impeditum est. Maneat igitur : *In naturalibus posthac non ita nobis versandum esse, ut cuius charta aut somnio credamus; sed ut experimentis sufficientibus stabiliantur prius omnia, juxta quæ de rebus judicium verum fieri possit: nisi constanter fascinari, aliosque (eadem ut per traditionem accepimus, ita rursus aliis tradendo) fascinare volumus.*

15 Quantum ad totum Panhistoriæ corpus, *duo hæc insigniter observanda erunt. Primò, ne quid vani, falsi, incerti, admisceatur: quia historia scribenda est, non fabellæ aut figmenta. Deinde ut non omnia vera scribantur, sed sola quæ scire inter sit: seu ad ingenia circa rerum contemplationem dirigendum, seu ad prudentiam circa rerum actiones formandum, seu ad pietatem & serium numinis metum animis instillandum. Sunt enim quædam è flagitiorum genere quæ ignorari præstat, quàm scire: quæ monstrâsse, aut narrasse, docuisse foret. Ergò turpia & obscena, similiaque, dissimulentur: quæ optimè etiam non nominari inter Christianos, Apostolus monet.*

16 Vel proinde sapientiæ veræ (cujus initium & finis est timor Domini) parantibus, apicularum imitanda erit pietas: quæ in floribus omne deterius & venenatum araneis relinqunt, alvearibus non inferunt. Et quemadmodum Diluvium prioris Mundi scelerum memoriam (præterquam in genere) abolevit: ita Libri nostri ante actorum seculorum scelera tenebris sepeliant. Exstabunt quidem illa in Libris antiqvis, in Bibliothecarum carceribus, sed quò accessus non patebit nisi robustis: innoxia juvenuti, & simplici plebi, ne scandala objiciantur cavendum.

## PANDOGMATIA.

17 Receptum est eos haberi Doctos, qui quàm plurimorum Authorum lectione cognitionem sibi variarum, aut rerum aut de rebus opinionum, compararunt. Commendatque rem hanc sapientiæ daturis operam *Siracides*, ut *sapientiam omnium antiquorum exquirant* (Ecclus. 39. 1.) Nos igitur dum in omnes sapientiæ vias inquirimus, hanc etiam præterire non decet. Et quia universalem vestigamus Sapientiam, universum Authorum chorum (quicumque, quandocumque, quâcumque lingvâ, de quâcumque re, cogitationes suas Orbi communicarunt) commendare fas est. Illam quippe Antiqui illius vocem, *Nullus tam malus est Liber, qui non aliquid contineat boni*, suo modo veram esse alibi ostendimus.

18 Quia tamen Authorum tot millia jam habentur, & aliqui eorum (sive scribaciores sive profundiores) vel soli occupare ingenia possent; ad-



mitti singulos ita ut sunt, toto apparatu suo, res improporcionata est ingeniis, (præsertim negotiis Vitæ distractis; & maximè Pansophicis, quibus potius Res quàm de rebus opiniones, attenduntur; & jucundius simplices & rectæ Veritatis viæ, quàm tot ab illa deviationes spectantur; & in universum agenda potius, quàm acta, cordi esse debent) omninò inveniendum est *compendium aliquod, quò tantam Authorum essentiam sic extrahendi, ut cuicumque vel omnia omnium placita cognoscere volupe sit, nec impossibile, nec difficile sit.* Devoranda igitur aliquibus molestia illa erit semel, ut ea liberentur in perpetuum alii omnes. Non abolitionem Authorum suademus, qualescunque tandem sint, qui exstant: sed eviscerationem per Epitomas, aut Breviaria, & Indices ac repositoria: è quibus totam cujusque Authoris (de quacunque re) mentem cognoscere promptum sit. Autores ipsi in theatris suis, Bibliothecis, prostant nihilominus integrè, si quando fontes ipsos consuli necesse sit; aut variæ eruditionis amantibus per antiqva illa prata obambulare libeat.

19 *Erit autem Pandogmatix liber ad præcedentium duorum leges scribendus: ut Omnia, ordine, verè, contineat.* Omnia dum dico, non intelligo minutias & quisquilias omnes, apud famosos etiam Autores (nedum sequioris notæ) passim occurrentes: sed talia omnia, quæ aut Veritatis alicujus firmandæ, aut erroris alicujus detegendi, vim habere credantur. Alioqui rectè Quintilianus: *Persequi quod quisquam unquam, vel contemptissimorum hominum dixerit, aut nimix miseriæ, aut inanis jactantiæ est: & detinet atque obruit ingenia, melius aliis vacatura, &c.*

20 *Ordinem dum dico, intelligo seculorum seriem ut alii post aliòs vixerunt, & scripserunt, ita singulorum scripta ut recenseantur, & emedullentur;* ad eum forsan modum, quem in *Medulla Patrum Abrahami Sculteti* observatum videmus. Qui si placebit, addendus erit Operi *Index trini generis, I. Authorum*, alphabeti serie. *II. Gentium & Linguarum*, quibus authores scripsere. *III. Materiarum*, seu alphabetico seu iterum Pansophico ordine.

21 *Verè scribendam esse Pandogmatiam cum dico, hoc volo, ut sententia & dogmata candidè recitentur sine ullo fuco, ulla in aliud transformatione.* Uti sæpè fit dum partium odiò, aut studiò, dictis Authorum contra eorum mentem sensus affingitur; aut incuriosè decurtatis verbis & sententiis sensa illorum obscurantur. (*Videantur hæc de re pulchrè monita Verulamii. lib. 3. de Augm. scient. cap. II. de placitis antiquorum Philosophorum.*) Remedium erit, ut quisque producat loquens verbis suis, nihil mutatis: ut veram cujusque Authoris effigiem habeat lector, non larvam aliunde

illi



illi affectam. *Recitatorem enim aget Pandogmatista, non Censorem.*

22 Quamquam & censura, post expositam sincerè plenam Authoris mentem, locum habere posset, si prolixitas non metueretur. Id autem tùm affricando Authorum sententias ad fundamenta Panfophica, ut quâ parte veritatem attingant, aut ab illâ deficient, pateat: tùm conferendo inter se Authorum opiniones, & quid veri huic & illi subsit ostendendo, monstratâque media Veritatis viâ, eos sibi invicem (quantum possunt, Veritati autem quantum debent) reconciliando. Quod plerumque posse, dubium non est, si utriusque assertionis fundamenta rectè intelligantur.

23 Supponimus enim neminem sanæ mentis, nedum sapientiæ studiis excultum, sine ratione aliquid statuere: aded *ut omni etiam Errori Veritas aliqua subsit, cui soli Author nimium intentus, concurrentesque veritates aliàs sibi præter se passus, erronei aliquid affinxit.* Habent ergò plerumque contradicentes sibi invicem, pro se quisque Veritatem suam: quarum ad se invicem respectum verum si intelligerent, pugnare desinerent. *Ex. gra. Refutat Empedoclem Aristoteles, quod lumen Solis diceret ab ortu in occasum momentò diffundi: quod Aristoteles fieri posse negat. Uter veriùs? uterque rectè, si rectè intelligatur res ipsa.* Nam quia Sol sine perpetua radorum ejaculatione Sol non esset, non demum lucem in nos ejaculare incipit, cùm se supra horizontem nobis elevat; sed antequam emergit, jam radii ejus supra capita nostra in aère extensi sunt. Simul ergò ac se exerit, eodem momento radii de pressiores facti nos circumfundunt. *Atque ita Empedocles momentò nos luce circumfundi verè dicit.* Verumenimverò quia non eadem radii partes, quæ tùm demum à sole emanant, sed radii jam ante supra nos extensi, ita nos circumfundunt, *rectè Aristoteles motum successivum urget, momentòque peragi posse negat.*

24 Aliquando verò neutram oppositarum assertionum veram esse, monere poterit Pandogmatista. *Ex. gr. Ignem esse levissimum, Peripateticis contendunt: Huartus contra gravissimum (in Scrutinio Ingeniorum.)* Hic frustra contendit, dicendum erit: quum secundùm rei veritatem (quam Panfophia deprehendit ac detegit) Ignis neque levis sit, neque gravis. Quia non est Materiæ mundanæ seu Elementorum pars, sed vis in materiam agens: quæ qualem reperit materiam (gravem aut levem) talem relinquit. Nec enim Metallum ignitum seipso gravius aut levius est; sicut & Aqua.

25 *Atque isti sunt Libri universales, luminis universalis lampades verissimæ futuri, si ad ideas suas rectè perficiantur.* Præstabunt enim omninò hæc bona septem. I. *Ut ne posthæc sine re nomen Eruditionis possideamus.* II. *Ut ne Eruditionem per tam vastas Bibliothecas venari, infinitisque laboribus spiri-*



*rum sine fine fatigare, necesse habeamus: amœnissimo hoc compendio infinitis ambagibus liberati. III. Ut hæc (compendiariâ licet, undiqve tamen plenâ & solidâ) Eruditione, jucundè acquiescere liceat. IV. Et qui nihilominus Authores ipsos adire volent, penetrandi omnia claves paratas, januasque jam ante se referatas, ut habeant. V. Eòque literas & studia fastidiendi nemini relinquatur, tantas inter illecebras, occasio. VI. Atque hinc ut Eruditio verè, & Eruditione verâ, impleri possit Mundus: id quod quæritur. VII. Tandemque ut lumen hoc universalis Sapientiæ seipsum magis magisque depurare & augere possit, iisdem Libris mutuam sibi præstantibus operam. Pan sophia enim Panhistoriæ quid rerum speciatim observare ac venari debeat, ostendet. Panhistoria verò novis subinde experimentis Pan sophiam, sicubi in constituendis rerum ideis aberraverit, emendabit. Pandogmatia denique illam & istam de variis meliùs observandis, diligentius examinandis, pressius denique urgendis, & omninò defectibus quibus cunqve supplendis, monebit. Atque ita Lucis augmenta, DEI ope, sperare semper erit.*

## C A P. XVII.

*Scholarum universalium modus.*

**L**ibris universalibus rectè constitutis, adeòque in vernaculas quoque Gentium linguas traductis, possent Scholæ minus necessariæ videri: quippe jam è tam artificiosè contextis humanæ Sapientiæ tabellaturis hauriri commodi possent omnia. Verùm si exactiùs rem consideremus, inefficax erit universale illud Librorum universalium remedium, si non modus aliquis, ut Libris datis uti velint & sciant Omnes, inveniatur. Quid enim cæcis cum Speculo? Cui usui Libri, quos nemo legat? Non poterunt autem legere legendi artem indocti: nec legere attentè, attentioni non adsvecti: nec legere mente liberâ, præconceptis opinionibus quibus cunqve tandem jam occupati.

2 Nihil profectò certiùs est quàm hoc, si Juventutem sic excrefcere, (h. e. sylvescere) patimur sicut hæctenus, æqvè ut hæctenus Mentis rerum vanis occupatum iri. Idque adeò, ut si vel Cælo delabantur Libri, Angelicâ sapientiâ scripti, legere tamen eos aut non libeat, aut non feridè libeat; aut tandem intelligere eos verè, ad usum verum (propter præimbitas pravas de rebus opiniones) non liceat.

3 Scholis itaque sapienter institutis opus est omninò; quæ Juventutis animos (antequam Mundus occupet, aut illi se ipsos vanis & fumosis impleant) prudenti



prudenti disciplina captivent, subigant, & sapientiæ potenter imbibendæ, ut aruum apte recipiendo semini, præparent. Tantum enim hac in re situm est, ut tota Mundi in meliùs reformandi spes à nondum corruptæ, & fingi ac refingi aptæ, Juventutis informatione pendeat: ideòque DEUS tam crebrò, & tam seridò, rem hanc parentibus Verbo suo inculcat, ut liberos suos in timore DEI educare ne intermittant. Memorabileque admodum est, quod apud Esaiam dicit, In universali depravatione populi Neminem superesse, quem doceret scientiam, & cui proponeret intelligentiam, præter depulsos à lacte, & avulsos ab uberibus. Cæteris etiamsi addatur præceptum præcepto, & delineatio delineationi; paululum hinc, paululum illinc (i.e. quidcunqve subsidii offeratur undecunqve) perinde esse ac si eis quis peregrino sermone, & lingua exotica loquatur. (Jes. 28. à vers. 7. ad 12.)

4 Hoc itaque DEI Consilium sequuti ne surdis canamus fabulam, Homines jam inde à prima infantia (depulsos à lacte, & avulsos ab uberibus) formandos nobis sumamus. Idque ut procedat universaliter, Scholas universales ubiqve gentium aperiri, meliùsque quàm hæctenus constitui, svadeamus: quantumque per omnes occasiones licet orando, & obtestando, instemus & urgeamus. Aut enim sic universalis Reformationis obtinemus scopum, aut cum omni reliquo apparatu frustra sumus.

5 Finis ergò Scholarum universalium erit, Non tantum omnibus gentibus & linguis, & hominum ordinibus, sed & singulis individuis, ex inscitie & barbarie tenebris emergendi subministrare occasiones. Id autem Primò, præparando ingenia mature: ut excipiendis quæ post, & per totam vitam, instillabuntur, idonea fiant: Tractabilia scilicet facta & obsequiosa DEO & Magistris; imbutaque ritè Numinis reverentiâ & vitæ futuræ sensu. Secundò, addocendo literas: tanquam necessaria ad Libros universales legendum & intelligendum instrumenta. Tertio, familiariter illis nota reddendo cognitionis principia, è quibus postea Libros universales extractos esse, præfertim Pansophiam, agnoscant. Nempe, Sensualia Mundi totius; Scripturæ sacræ historica omnia: Communesque Animi nationes, tanquam rationis humanæ fundamenta.

6 Hæc omnia quomodo sine molestia omni, svavi potiùs docentium & discipulorum voluptate, peragi possint in Schola Materna, & Pædagogica, (ætate infantili & puerili) didacticæ rationes ostendent. Nunc hoc solum notetur. Scholas ejusmodi ubiqve homines sunt, esse posse: quia requisita nusquam desunt. Nempe sunt qui discere possunt, novi illi in Mundo hospites, ad oculos circumferendum, & quid, ad quid, per quid, unumquodque sit & fiat, cognoscendum, naturâ satis curiosi. Tum sunt, qui docere



possunt, si modò sciant, *Parentes*. Sed ut sciant etiam, constitui poterit (ope DEI) certus institutionis & disciplinæ modus: quem si sequantur, à scopo non aberrent.

7 *Posse item piâ Magistratus Christiani curâ provideri, ut omnis Juventus, etiam egestuosorum parentum, & Orphani, culturæ nihilominus adhiberi & vacare possint.* Nempe si opulentiores quot liberos habent, tot cum illis pauperum coætaneos pueros, cum filiabus autem puellas, alant: DEum eâ ratione honorantes, hominesque pios sibi demerentes, multiplici suo & liberorum suorum commodo & usu. Quod beneficium si privati divites Republicæ præstabunt, non ita multi fortasse, quos publico sumptu sustentari necesse sit, (donec literis, moribus, pietateque satis imbuti ad vitæ aliquod genus applicari possint) supererunt. Si qui autem supererunt, iis è publico prospectum iri (ab Ecclesiâ & Magistratu) spes est: *quia publicæ salutis interest, ne ulli otiosi & curiosi homines, iique mox aliorum corruptores futuri, subnascantur, & in humanam societatem irrepant.*

## C A P. XVIII.

## Collegii universalis forma.

QVI Ædificium molitur, post congestas materiarum strues, & bene conceptam Domûs ideam, & explanatam structuræ destinatam Arcem, Architecto & Fabris, qui consilia in opus deducant, opus habet. Necessariò igitur in universalis reformationis Literaturæ negotio, post Libros universales & in illis artificiosam Methodum, & Scholarum ubique erigendarum formam, *Operarii etiam requiruntur*: qui auxilio DEI optimè cogitata optatum in effectum disponant.

2 Cui negotio apti erunt *Viri ex toto Orbe selecti, ingeniosi, solertes, pii, publici boni fervide amantes, ex ordine tam Politico quam Ecclesiastico indifferenter: qui velut in specula pro salute generis Humani excubando, omnes possibiles vias & modos, occasionesque, omnia omnibus profutura quærendi, inventa propagandi, propagata à corruptelis præservandi, dispiciant.*

3 *Viros cum dico, intelligo plures requiri: unus aut pauci tantâ in re nihil poterunt. Multitudo sapientum salus erit Orbis terrarum.* (Sap. 6. 26.) Non unius profectò hominis est, universalia moliri: Præsertim quæ non uni Genti aut Ecclesiæ, sed Mundo, parantur. Et per quæ non uni anno, aut seculo, consultum itur; sed omni posteritati. Coalitione itaque pluri-



plurimorum opus est, qui junctâ diligentia, & successivâ operâ, quamdiu homines erunt Hominibus prodesse quærant.

4 Dum autem dico selectos, intelligo negotio huic certas destinari debere personas: quæ se divinitus ad id laboris stimulari sentientes hoc unum agant, ut omnia DEI dona Orbi communia fiant. Notum alioquin est, quod nemini in specie mandatur, id aut neminem curare, aut si curant omnes, confusionem esse. Tum & hoc certum, qui ordinariis (in Ecclesia, Schola, Politia) functionibus vacant, eos (si fideliter obire munia volunt) plus semper domi reperire quod agant, & quo distineantur, quàm ut cogitationes ad universalis abstrahere, illisque commodè vacare possint.

5 Perquam ergò utile foret in singulis gentibus constitui Professores honorarios (saltem singulos, si non Collegia integra: quemadmodum apud Hollandos pulchro exemplo observari ceptum est, in Lipsiis, Scaligeris, Salmasiis fovendis) quibus nihil particulatim incumbat, sed generatim universalis Eruditionis cura & studium. Et quid nî quos DEUS publicum in bonum publicis instruit donis, è publico alantur? Non immeritò Verulamius inter tot Europæ Collegia præclare fundata, omnia certis professionibus destinata, nulla liberis atque universalibus Artium & scientiarum studiis dedicata esse, miratur: verissimamque causam cui felicior doctrinæ progressus Humano in genere hucusque retardatus fuerit, hanc fuisse (quod Universalis nemo curârit) persuasum habet. Sapient ergò Mundus, si sapientiæ studiis hâc parte meliùs prospiciet.

6 Tales autem universalis scientiæ Auspices, ubi ubi gentium fuerint (seu collegiati, seu dispersi) opus erit eos

- I. Invicem sibi patere.
- II. Collegiali aliquâ societate co-ordinari.
- III. Legum sanctarum vinculis colligari.

7 Patere sibi invicem necesse est, si idem opus agere, & ad eosdem fines collimare, debebunt. DEUS enim (pro communi in omnes diffuente bonitate sua) per omnes Gentes & Mentis spargere consuevit dona sua: quibus si nos in unum colligendis operam navare negligimus, dispersa manent, communem in usum non veniunt. Qualiter hactenus multis in rebus evenisse, multosque homines, & integras Gentes, multis bonis solo communionis neglectu caruisse, fatendum est. Stabilito itaque de colligendis in communes usus omnibus DEI donis, humanisque inventis, proposito, mutuâ Sapientum correspondentia Mundus carere nullo modo amplius poterit.

8 Quamquam enim non omninò correspondentia Mundo defuerint, illis



illis tamen defuit Universalitas: viciniores tantum quidam, cum Religionis aut sectæ suæ hominibus, & certis in negotiis, commercia coluerunt; ab aliis, aliis in rebus, avulsi. Quâ nostrâ pusillanimitate, aut incuriâ, aut etiam aliorum in alios fastu, callidus Humani generis hostis ad technas suas abusus, communi felicitati inimicum sectarum studium invexit, sollicitèque conservat & fovet: quia sectarum quavis loco publici boni (quale Deus instituit, & Christus exemplò docuit) privatis suis inhiare commodis, & ex alienis ruinis incrementa sua venari videns, unde se impostor oblectet habet. Huic ergò malo remedium par quia non datur aliud, quàm ut in bonum universala conspiremus universi, coalescentes Omnibus possibilibus modis in eadem desideria & studia, commune promovendi bonum: omnibus particularibus sectis & studiis hoc universalitatis studium efficacissimè opponendum est.

9 *Dum autem ordinem aliquem illis communis felicitatis Proxenetis commendo*, id commendo sine quo industria illorum minus utilis foret. Optamus enim, & res ipsa poscit, multos esse: *ubi autem multitudo, ibi & confusio, nisi multitudo ad unitatem aliquam, ordinis alicujus vi reducatur.* Ordo ergò aliquis illis necessarius: ut quid, cui, ubi, quando, quibus auxiliis, agendum sit, quisque sciat, eoque sic agat, quomodo in publicum expediat. Cujus Ordinis fundamentum hoc videtur ponendum, ut *Inter omnes Unus quidam sit, quem alii ut Collegii Præsidentem respiciant.* Nempe quò mediante Universale illud commercium expeditius quaque versum, procedat: dum ad illum omnia necessaria perscribant singuli, ille autem talia omnia rursus ad omnes.

10 Quod si stabit, locum habitationis ejus tali aliquo in loco assignari necesse erit, ad quem ab omni Orbis plaga; & inde rursus ad omnes plagas, Navigationis beneficio accessus pateat. Cujusmodi commoditatibus quædam Europæ Regna gaudent: *Hispania, Gallia, Hollandia, Anglia.* Enim verò Angliam præ reliquis correspondentiarum sedem constitui conveniens videtur. *Primò* ob memoriam heroici facinoris *Draconis Angli*, qui Orbe universo quinqvies circumnavigato huic universali sanctæ Gentium collusioni veluti prælusit. *Secundò*, in memoriam *Illustrissimi Verulamii Angliæ Concellarii*, à quo de universali Scientiarum Reformatione consiliorum occasio prima. *Denique* in memoriam promoti tam salutaris consilii, & dotatum redditibus Collegium (si dotabit) ad alendum tot Collegas & Amanuenses, quot res hæc (quæ non honoris aut opum, sed operosæ charitatis negotium erit) requireret. Poterit autem si videbitur in quolibet totius Mundi Regno unus aliquis etiam primarius constitui, ad quem alii Collegæ respiciant, ordinis itidem melioris gratia.

II Jam



11 Jam autem si sancta hæc in communem Generis humani salutem conspirans societas *Collegium* dicenda fuerit; Legum utiqve aliquvarum vinculis colliganda erit. Quarum prima erit, ut vocationis suæ (ad quam instinctu divino tractos se sentiunt) excellentiam dignè æstimantes, *Humani generis se constitui Pedagogos* (ut Seneca loquitur) & *mitti ad plantandum Cælum, & fundandam Terram*, (ut DEUS apud prophetam, *Jes. 51. 16.*) gaudeant: ideòqve reipsâ divinum pietatis (qui omnes homines salvare, & ad agnitionem veritatis venire vult, *1 Tim. 2. 3.*) administri, Apostolici zeli (quibus *erudire omnes homines, omni sapientiâ, ut redderent omnes perfectos in Christo Jesu*, cura fuit, *Col. 1. 28.*) imitatores esse allaborent: eòqve fine se totos gloriæ DEI, & publicæ salutis promovendæ, mancipient.

12 Et quia ad res tantas vires humanæ nimis quàm imbecilles sunt, auxilium sibi de cælo perpetuis suspiriis profundissima humilitate devocare, nunquam intermittant. Demumqve divinâ freti misericordiâ & veritate (qui se ipsum negare, & quæ suo honori, & suorum salutis serviunt impedire, non potest) operas quisqve suas, quæ datur, strenuè urgeant.

13 Memores ædificatorum Templi secundi (qui non nova ponebant novo templo fundamenta, sed super bases priores ædificabant, *Esd. 3. 3.*) à fundamento æternitatis, quod semel positum est, & præter quod aliud ponere nemo potest (*1 Cor. 3. 11.*) sicut & à basibus scientiæ nostræ quas posuit DEUS, *Natura, Scriptura, communibusque Notitiis*, aberrare ullo modo caveant. Item ut Librorum universalium plenissimam notitiam habeant: & quicquid in illis suppleri, aut emendari posse observatum fuerit, de eò alii alios monere, communiqve consilio emendare, ne intermittant. Quicquid præterea reconditoris mysterii cuiquam observare dabitur, non suo arbitratu vulgabit, sed fratribus communicabit, ut Inventi veritate debitis experimentis firmatâ, quicquid DEUS dederit in communes communis sapientiæ thesauros, salutesqve generis humani usus, transferantur (pro mysteriis tamen haberi, aut venditari, nisi quæ talia sunt verè, caveatur.) Præterea, ut Scholæ ubiqve gentium, oppidorum, vicorum, ut erigantur, attendent, de quæ eâ re Magistratus, & qui cum potestate præsent, monebunt. Eademqve Scholæ ut benè habeant, curabunt; abusus & somnolentiam irreperere prohibebunt. Ad hæc, rebus domi rectè constitutis, de propagando sapientiæ lumine ad vicinas quoque gentes (quamdiu restabunt, quas è tenebrarum potestate eripi necesse erit) cogitabunt: eòqve fine ad convincendos & convertendos Judæos, Mahumedanos, Idololatrias, &c. certos & efficaces modos habere curabunt; Si quos autem nimis potentes, vel astutos, iis quæ jam in manu sunt armis expugnari non valentes,

K

expe-



experientur adversarios, consilium fratrum vicinorum aut & omnium (per Præsidem) exquirent; (Poterunt enim intra biennium vel ex universo Orbe suffragia haberi.) Insuper, singulis annis quilibet Collega semel ad minimum Præsidem literis salutet, deque statu publico rerum Provinciæ suæ edoceat: ut si omnia rectè procedunt, solatio esse, si secus, remedio quærendo ansam dare possit. Præses itidem (ad minimum semel anno) ad omnes & singulos Collegas Lucis scribet, omniaque memorabilia aliunde ad se missa, aut domi nata, communicabit: ut statum Universi Orbis universales hi pro salute omnium excubitores non ignorare possint.

14. Ita hæc sociata per gentes universas Sapientum amicitia sanctus ille annunciantium triumphantem in suâ veritate DEum exercitus (de quo *Psal.* 68. 12.) dici & esse poterit: cujus vexillum illud ipsum erit quod erectum iri gentibus & populis, ad quod concurrant, prædixit Jesaias (*cap.* 11. 10.) *Christus Jesus, mundi lux, æternitatis porta, sapientiæ basis, columna, fastigium, Corona; sapientum verò omnium Dux & Rector.* (*Sap.* 7. 15.) ille sanctæ hujus Societatis caput erit, quem Pater constituit, caput super omnia (*Eph.* 1. 22.) qui priùs ipse Legatum DEI in Terris egit, abiturusque alios misit Legatos ad gentes universas: affuturum se illis promittens, ad finem usque seculi (*Matt.* 28. v. ult.) Quemadmodum ergò ipse Dominus à corruptelis homines ad primævam simplicitatem revocare, solitus fuit: (*Non sic fuit ab initio, dicitans, Matt.* 19. 8.) Ita hi ejus servi hoc potissimum sibi agendum credent, ut ad antiquas DEI vias, à quibus tot modis ubique aberratum est, revocaturi mortales (*Fer.* 6. 16.) vel hoc symbolo sibi officium suum ob oculos ponant, REVERTAMUR! scilicet à dispersione ad unionem; à confusione ad ordinem; ab opinionibus ad veritatem; à circumferentiis rerum ad centra Rerum; à nobis ipsis, & creaturis, ad DEum.

## CAP. XIX.

### Lingvæ Universalis ratio.

QVANTO humanæ societati ad conservandam concordiam, & colenda sapientiæ studia, dilatandamque Veritatis Doctrinam, & extendenda Ecclesiæ pomæria, impedimento fuerit *Lingvarum confusio*, vel inde fiat evidens, quòd cum tenebrarum nostrarum misereri, Evangeliiqve Lucem Mundo inferre vellet DEus, Lingvarum usus est ministerio. Idque duplici ratione.

Primò,



2 Primò, quod Monarchiam Græcam adventum Christi antecedere, Romanam verò comitari, voluit: quarum utrarumque cultissima Lingua una cum Imperio, per gentes dilatata, felix Evangelii vehiculum facta fuit: ut ex titulo Crucis Christi, Evangelicisque & Apostolicis, Patrum item Græcorum & Latinorum Scriptis, patet.

3 Secundò, quòd ut ad illas quoque Gentes, quæ nec Græca nec Latina intelligerent, penetrare vox Evangelii posset, Spiritus S. aliarum quoque linguarum cognitione Evangelii præcones instruebat: utpote sine quo mediò ad illuminandum hominum heteroglossorum mentes aditus erat præclusus.

4 Necessariò igitur nunc etiam, cum Mundi totius Reformatio quæritur, & speratur, Linguarum ope erit opus: h. e. aut illis qui sapientiæ hoc lumen distributuri sunt Linguarum quarumvis donò; aut gentibus omnibus linguam aliquam unam communi. Quorum utrumque tametsi impossibile videri possit, non tamen est: posterius etiam priori facilius. Facilius enim est omnes ad discere unum quid, quàm unum aliquem omnia; si labore & industria res hæ parandæ sunt. Sunt autem, quia miraculorum dona cessarunt.

5 Omnino igitur Viris doctis cogitandum erit de modo, quò aut sibi notitiam quarumvis Linguarum (earum nempe quisque Gentium, cum quibus sibi commercium erit) faciliè comparent: aut unam aliquam Linguam constituent, quæ & ipsi inter se communiter utantur, & Gentes omnes (barbarissimas licet) eandem perdocere faciliè queant. Utrumcunque horum placebit, compendia quædam non deerunt, DEI ope.

6 Prorsus tamen præferenda est via posterior, ut Lingua aliqua toti Orbi communis constituatur. Ita enim melius se intelligent omnes, eodem sono: & evidentius erit signum, universale hoc Lumen penetrasse ad omnes; & Sapientiæ studium fixius conservabitur inter omnes, & propagabitur ad posteritatem certius. Et poterit quicumque volet, per quasunque Mundi regiones & climata, peregrinari, omnes intelligere, & ab omnibus intelligi, gnarus.

7 Quæ res amænitate esset plena, possemusque demum id cernere, quod Claudianus Romani Imperii amplitudini, à Stilicone tùm prudenter administrati, more poëtico adulatus, cecinit:

*Hujus pacificis debemus moribus omnes*

*Quod veluti patriis Regionibus utitur hospes:*

*Quod sedem mutare licet: quod cernere Thulen:*

*Rursus & horrendos quondam penetrare recessus;*

*Quod bibimus passim Rhodanum, potamus Orontem:*

*Quod cuncti Gens una sumus.*



Enim verò tantum hoc beneficium non Stiliconis, nec cujusquam mortalium Imperatorum, sed Christi Monarchæ, debetur temporibus: ut sequenti capite videbimus.

8 Sed communem hunc gentium Mercurium, quia necesse est omnibus esse sufficientem, blandum, amabilem, nemini difficilem, durum, morosum; nobisque talis jam quærendus est, non possum quin hîc Ludovici Vivis Orbi universo Lingvam unam etiam optantis, cogitationes (quas sub initium Libri III. de tradendis Disciplinis aperuit) referam: Cum lingva (inquit) & instrumentum sit Societatis humanæ, & Eruditionis ararium, è re humani generis esset unam esse, quâ uterentur omnes Nationes. Quam oportet esse suavem, doctam, facundam. Suavem, in facili & jucunda enunciatione: Doctam, in apta & propria significatione: Facundam, in verborum & formarum varietate & copia. Quod efficeret, ut homines libenter loquerentur, & aptissimè omnia sensu applicarent, multumque semper crescerent judiciis. Subdit verò: Et talis mihi videtur, Latina, ex iis quas hodie usurpamus. (1) quia diffusa jam est per multas Nationes. (2) Artes penè omnes illâ moderatæ sunt. (3) Copiosa est. (4) Sono suavis. (5) Gravis. Ob quas causas nefas esset non conservari eam, & coli: quæ si amitteretur, magna sequeretur Disciplinarum confusio, &c. Ad dilatandam etiam pietatem utilissimum est homines mutuò intelligere: Accedit etiam (NB) Lingvam esse aliquam Doctorum sacram, quâ res arcanae consignentur, &c. Sed nescio utrum à communi illa diversam esse conveniat. Hactenus Vives.

9 Cum quo eatenus consentimus, ut Lingvam unam communem mundo necessariam existimemus: atque si alia deficit, Latinam potius, quàm ullam reliquarum, eum in usum destinandam. Sed quia cogitationes nostræ nunc altius eunt, facere non possumus quin potius novam prorsus, suadeamus Lingvam. Cujus rei rationes nobis ista sunt.

10 Primò, Lingvâ universali consulendum est ex æquo universis: Latinâ verò consuleremus nobis potissimum, quibus illa jam nota est: non item gentibus barbaris (quarum tamen hîc, quia potiorem Orbis partem faciunt, potior habenda est ratio:) quibus Latina æquè ut aliæ, imò magis etiam, tùm ignota est, tùm difficilis. Quippe admodum operosas curam multorum annorum, studiumque intensum, requirens: ut experitur pubes nostra, & ipsa ejus structura ostendit. Est enim plena diversis (1) in Nominibus quidem casibus: (2) in Verbis autem modis & temporibus: (3) in Syntaxi constructionibus: (4) in his autem omnibus anomalis scætet quàm plurimis. Quæ omnia quia Itali, multa ex parte Lingvæ suæ detraxerunt, quanquam Latinam corrupisse videantur, id tamen obtinuerunt ut suam



suam illam (Italicam) non illubentes discant non solùm omnes ferè Europæ gentes, sed & Arabes, Turcæ, Tartari, aliiqve barbari: licet & illa suis adhuc horreat spinis, h. e. laboret anomaliis. Quid igitur non sperandum putamus, si facilior adhuc, prorsusqve per omnia regularis & fluida, daretur?

II Deinde, *Lingvæ universalem oportet esse omnium locupletissimam, ad exprimendum aptè res omnes, & promendum faciliè omnes animi conceptus, omninò sufficientem: qualem se non esse Latina ultrò fatetur;* Compositionibus enim pauper est, nec derivationibus adeò felix. Unde tot vocabula mutuatur aliunde: præsertim è Græca, à qua tota pendet, nec sine illa perfectionem suam unquam assequitur. Atqve sic ab unitate & simplicitate recedens, & perfectionem quæ requiritur non attingens, nec sibi nec rebus sufficit.

12 Tandem, & quod maximè intenditur, *Lingvæ universalem oportet esse confusionis conceptuum antidotum universale.* Quod non aliâ ratione fieri potest, quàm si rebus parallelè decurrat, non plus nec minus Vocum continens, quàm sunt res; nec aliò ullo ordine eas copulans, quàm res in seipsis copulantur exactissimè. Et quidem sono ipso semper naturas rerum exprimendo, Mentibusqve præsentando. Quod Latina æqvè parum ut alia quæcunqve præstat: quia priorum seculorum homines, Sermonis illius qui ad nos transmissus est authores, tam accurati Rerum contemplatores non fuerunt, ut differentias omnes notarent, Verbisqve accuratis ac propriis exprimerent: nota & obvia exprimere posse satis illis fuit. Imò plurima casu illis enata, nullâ ratione ad significandum hoc vel illud (etiam contrarium sono eodem aut simili, rursusqve contrario sono rem eandem) adhibita fuerunt. Hinc homonymiarum, Synonymiarum, Paronymiarum, Troporum, Figurarum, Periphrasium, i. e. ambiguitatum, superfluitatum, confusionum, plena omnia. Et quoties accuratiùs de rebus loquendum est, aut definiendum semper est, & toties quid per hoc vel illud intelligatur repetendum; aut inter ipsum discursum perpetuò excipiendum, distinguendum, limitandum; sæpiùs inscitè, aut sophisticè, quàm verè. Hinc semper aut dubitatio aut fallacia se ingerit: quia nec satis unquam conceptus à confusione liberatur.

Hinc est, quòd *Populi Babylonem hucusqve ædificant omnes: nec se in eo, quod agunt, & loquuntur, unquam satis intelligunt;* Non solùm homines Lingvarum diversarum, sed & ejusdem Idiomatis. Quia dum Rebus Nomina non per rerum naturam imposita sunt, neqve Sermonis usu Rerum fundamenta harmoniâqve mutuâ deteguntur: fit ut quoties de rebus con-



troverfia incidit, ultrò citroque contendentes nihil nisi verba verbis mifceant. Quia ut verba rebus exactè commenfurata non funt, ita formare conceptus Rebus commenfuratè nequeunt. Hinc eft quòd magno etiam ftrepitu Doctrinarum & difputationum, vix tantillum in fapientia ftudio proficimus: quia *Verba loquimur, non Res.*

14 Reftat igitur, *multiplicibus illis quæ à multitudine, difficultate, imperfectioneque Lingvarum oriuntur humani commercii remoris & confufionibus, remedium efficacius non fupereffe, quàm ut concinnetur Lingva nova, omnibus jam notis (1) facilior, ut fine temporis & Rerum difpendio difci poffit: (2) ftavior, ut eam difcere & didiciffe volupe fit: (3) perfectior, (quantumque per Rei naturam & noftam in hac antecæleſti Schola imperfectionem licet, tam perfecta) ut eam callere ad ipfarum Rerum intellectum valdè profit.*

15 Concipimus itaque votis Lingvam prorfus (1) *Rationalem*, nihil in materiali & formali fuo niſi ſignificativum (ad minimos uſque apices) habentem. (2) *Analogicam*, nihil anomalum ulla in re continentem. (3) *Harmonicam*, nullas inter Res & rerum Conceptus discrepantias inferentem, quippe quæ ipſo ſono rerum naturas & differentias exprimeret: eò ipſo veluti infundibulum quoddam ſapientia facta. Quam, ſi communi conſenſu generis humani recipiatur, reconciliandis ſibi invicem Hominiſus, Veritati autem rerum Conceptibus fore aptiſſimum medium omnes agnoſcant & gaudeant. *Tum enim demum illuminatum & Pacificum ſeculum eſſe & dici poterit, cum in Rebus & Rerum conceptibus, & conceptuum vehiculis Verbis, lumen & quies erit.*

16 Pulchrum eſt quod de *Realibus Chinenſium Characteribus* Orbi noſtro innotuit: eos id habere commodi, quòd & *diverſarum Lingvarum hominibus ad ſe mutuò intelligendum ſerviant: ut quorum commercio Lingva eſt inutilis, manu colloqui poſſint.* Quod ſi placet, compendiumque aliquod videtur, quidnè potiùs inveniendò **REALI SERMONI** (quem omnes ex æquo, ſeu lingvâ ſeu manu agendum fuerit intelligant; nec ſermonem ſolùm, ſed conceptus, & quod magis eſt Res ipſas ſimul) ſtudium impendimus? Quod longè minùs laboris (quàm monſtroſi illi ultra ſex mille Chinenſium Characteres) requirat, infinito autem plus fructùs refundat.

17 *Talis hæc Lingva nova, illuſtrandæ in oculis Mundi modo novo ſapientia DEI pulcherrimum foret medium. Stupendum ſanè ſapientia ſua ſpecimen DEUS, per Hominum Lingvam dedit jam aliquoties: ſed hoc videtur æxun futurum.* Primò enim mirum eſt, quod Lingvam humanam tot

fono-



sonorum formatricem (supra Viginti enim primos & simplices, omnes tamen articulatos formare potest) formavit. Deinde, quòd ex tam paucis illis primis literarum sonis, solâ earum complicatione tanta Vocum multitudo formari potuit, ut ad omnem Rerum varietatem exprimendum sufficeret. *Auxit post miraculum sermo, in tot formas diffusus, ut Gentium idiomatica numerari nequeant: excogitarique, aut casu enasci, plures etiam res etiam possunt, si Mundus stet diutiùs. Miraculorum tamen DEI circa Lingvæ fastigium meritò dici poterit, si Lingvæ post tantam diffusionem & confusionem refundi, & ad unitatè ac harmoniam reduci (inventâ Sonorum ad Res ipsas proportione & harmoniâ) poterunt. Digna profectò res est, quam omnes expendant: hâc unâ viâ dilaceratam Gentium societatem restitui, Orbi Terrarum labium unum reddi, gloriamque DEI tam illustri modi exaugeri, posse videntes.*

18 Nec forsân erit qui scrupulum moveat, *Utrum fingere novam Lingvæ liceat?* Si cui tamen cogitatio illa oborietur; respondebo, *Licere.* Idque jure divinitùs Homini concessio (*Gen. 2. 19.*) Ut enim contemplatio Rerum, ita Nominum Rebus impositio, pars Domini est, Homini in creaturas concessi. Si autem particularia Nomina Rebus imponere Adamo, Philosophis, Opificibus, aliis quibuscunqve, licitum hucusque fuit: quidni & Verba, & Particulas, & reliqua ad integrum Sermonem spectantia? Atque si casu enatæ tot Lingvæ, confusione merâ: cur non consilio & ratione, refusioneque eleganti, & artificiosâ, vel una? Nam cur hîc casui permittamus omnia? ad rationis vias revocemus nihil? Atque si Rerum Conceptus ad Rerum ipsarum normas emendare licitum est: quidni & Lingvæ, ad emendatiores Conceptus emendatius exprimendum accommodare?

19 Profectò ut DEUS humanam industriam non prohibet, mandat potius, conceptus Rerum sibi formare veros; ita nec prohibere potest *Sermonem de Rebus* sibi formare Verum. Si modò tempus est, quò (sicut prædictum est per Prophetas) *CONGREGANDÆ sunt OMNES Gentes & LINGUÆ, ut veniant & videant gloriam DEI* (*Jes. 66. 18.*) & *MUTANDUM POPULORUM LABIUM, ut sit purum, quò invocent omnes Nomen Domini, colendo eum humero uno* (*Sophon. 3. 9.*) ut sit Dominus Rex super omnem Terram, Dominus unus, & Nomen ejus unum: redigaturque tota Terra in campestria, &c. (*Zach. 14. 9. &c.*) Quorum oraculorum ea vis est, fore aliquando, ut illustriori modo ac unquam ante Gentibus omnibus illucescat gloria DEI. Ubi cum etiam *Collectionis Lingvarum, Conversionisque* (aut ut Tremellius vertit, *Mutationis*) *Labii, & unici Nominis DEI, redactionisque totius Terræ in planitiem, expressa fiat mentio: absurdi*



absurdi nihil est id ita intelligi; fore, ut qui per diversitatem Lingvarum cunctarum Gentes in unitatem fidei congregavit Evangelii initiô, idem sub tempus plenariæ congregationis gentium Lingvas etiam congreget, ut labio electo, humeroque uno, serviant ei omnes. Quod utrum miraculosè velit efficere, an co-operatione humanâ, non additur, nec interest. Quomodo cunque enim id futurum est, opus ejus futurum est.

20 *De modo si quis quærat, quò Lingva hæc optimè condi posset: duplex se offert. Ductu nempe aut Lingvarum jam notarum, aut Rerum ipsarum.* Prior esset ad imitationem Zeuxis, qui Helenam picturus Virgines sibi quotquot formâ præstantiores habere potuit, adduci iussit, omniaque in omnibus curiosè contemplatus, quod membrum in aliqua præ aliis maximè vidit eminere, id in Helenam suam transtulit, eaque ratione absolutissimæ venustatis ideam quandam feliciter expressit. Simile aliquid hîc fieri posset, si quicquid ulla Lingva peculiaris compendii, elegantia, emphaseos, habet (vix autem ulla tam infelix est, quin aliquid singulare præ aliis habeat) omne id undique selectum in unam hanc harmonicè redigeretur: ut è multis svavitatibus una fieret, omnium svavitatum essentia quinta.

21 *Posterior tamen modus realior est, ut Lingvæ novæ Concinnatores Rerum potius ipsarum ductum sequantur:* quandoquidem his examuffim exprimentis accommodari debent omnia. Tunc enim demum Harmonia vera erit & facilis: quia res ipsæ sensibus omnium hominum eodem modò obviæ, omnibus eam & intelligibilem & facillè imitabilem facient. Cujusmodi Lingvæ feliciter se jam posuisse fundamenta Gallorum ingeniosissimi (*Mersennus, & le Maire*) existimant: quò non solum cum quibusvis Orbis terrarum incolis, sed & cum Lunaribus, si qui sunt, colloqui se posse confident. Nosque ipsi Panosophiæ fundamentis innixi, *Lingvam sperare ausimus, quæ Latinâ sit decuplo facilior, quippe ab Anomaliis omnibus prorsus libera; & centuplo perfectior, quippe omnium Rerum & Conceptuum, per omnes differentias promptè formativa; & millecuplo ad rerum naturas, harmonicè exprimendas accommodatior, quippe cujus singulæ Voces loco definitionum essent, ad Rerum ipsarum numeros, mensuras, & pondera facta.*

22 *Quicquid tamen de illa communi Lingva futurum est, svadenda interim videntur hæc duo.*

I. *Primò, ut Lingvæ doctæ titulo crucis Christi sanctificatæ, eruditus in usu maneat.* Hebræa quidem & Græca primariò propter Scripturæ divinæ fontes: Latina verò quia tot ingeniorum hucusque thesauraria.

II. *Deinde, ut Lingvas quoque suas peculiare sibi Gentes, servent & excolant,*



*excolant* (quod an lubuerit illis, qui post suavissimæ illius plenum gustum suas barbaras & horridas non horrere non poterunt, tempori relinqvimus) *ut omnis Spiritus laudet Dominum, omnesque Lingvæ canant DEO.* Possentque omnium Lingvarum etiam confici *Lexicon universale*: sicut & Grammatica, consuetudines formationum & constructionum similes, diversas, contrarias, explicans: ad spectandam eò magis per omnia (etiam in illa ipsa Lingvarum confusione) diffusam DEI sapientiam.

C A P. X X.

*Status Mundi ex ita constitutis rebus qualis sperari possit?*

**V**erbis illis Christi, *Non est vestrum nosse tempora vel momenta, quæ Pater in potestate sua posuit.* (Act. 1. 7.) modestiæ nos (in scrutandis consilii divini arcanis, admoneri non ignoramus: nempe quàm diu ea Pater abscondit, neque nobis seu per prædictiones, seu per eventum aut mediorum ad eventa dispositionem, retëgit. At verò quoties Operum DEI præludia jam apparent, & consilia in effectum disponi incipiunt, adeòque in proximis jam causis proximi effectus prævidentur, attollere capita, circumferre oculos, extendere etiam ad excipienda DEI dona manus, non temeritatis, sed debitæ gratitudinis, & venerationis est.

2 Quidnî ergò nos per patentes jam Lucis vias Regno Tenebrarum exitium, Luci autem & Veritati victoriam & triumphos, parari confidamus? Videamus tamen sigillatim quid secundum jam posita, & ad Vaticinia Prophetica accommodata fundamenta, sperari possit? ut sit unde exultemus Domino. Sic autem cogitamus.

3 *Data Pansophiâ verâ* (qualem à divina misericordia speramus) *prohibet Lumen verum, in quo Rerum omnium rationes patefcent: ut in maximis & minimis, manifestis & occultis, nihil incognitum relinqvatur.* Juxta illud Christi: *Non est quidquam occultum quod non sit futurum manifestum; nec absconditum, quod non sit futurum ut innotescat, & veniat in apertum* (Luc. 8. 17.) Hunc usque sanè in diem in thesauris DEI, *Naturæ, Scripturæ, Animi*que *humani recessibus*, multa latere indetecta, agnoscunt qui nova mysteria inde quotidie erui animadvertunt, pluraque omninò restare vident. Non autem cælo illa, quæ occulta restant, servari suspicandum est: quia Libri illi huic Vitæ dati sunt, non futuræ, ubi DEUS non per typos & specula docebit, sed semetipsum immediatè, facie ad faciem videndum dabit.



dabit. Quod si verò typica illa hujus vitæ sunt omnia, manifestari oportet hac in vita omnia: ne frustra esse data, Deusque quod alios facere prohibuit ipse fecisse, videri possit. Quod videlicet accensa (hic, illic, isthic) lumina sub modium abdiderit, neque candelabro publico in usum omnium qui in Mundi domo sunt, exposuerit (*Luc. 8. 16. & Matt. 5. 11.*)

4 Quàm ergò verum est, latere adhuc multa quæ ignoramus omnes, tam verum est omnia illa patefacturum Dominum. Et quidem omnia verè; non per opiniones & conjecturas, sed per detectas ipsas rerum causas, ut non solum quæ illa sint, ex quibus tota Mundi fabrica, totaque Ecclesiæ compages, & tota omnium seculorum textura, constat: sed & cur aliquid horum abesse, aut aliter quàm est esse, non possit, videndo videant, quicumque videbunt. Atque tùm implebitur quod prædictum est, fore aliquando ut homines ab hominibus doceri (hoc est, autoritatibus humanis circumduci) desinant, (*Fer. 31. 34.*) incipiant verò esse *θεοδιδασκῶντες* (*Fes. 54. 13.*) hoc est, solis DEI Operibus, Verbis, Instinctibusque attendere, & regi: quando Libri DEI aperti erunt, ut quisquis leget, intelligat simul. Unde fiet ut homines mytheria DEI non duntaxat credant (quod ad beatitudinem priorum seculorum sufficebat secundum illud Christi, *Beati qui crediderunt, Joh. 20. 29.*) sed & intelligant. Quò luminis augmento ultimum seculum augere DEUS decrevit (*Fes. 32. 4. Fer. 30. 24. Dan. 12. 4. Apoc. 22. 10.*) Hanc gratiam & gloriam dabit DEUS sanctis suis, ut non egeant sole vel luna, quia ille ipse erit in lucem sempiternam, tum cùm tabernaculum suum figet cum hominibus (*Psal. 84. Fesa. 60. 19. Apoc. 21. 3.*) Non quod defuturi sunt ad Veritatem duces, aut ejus Doctores (quos tunc maximè futuros alibi prædicit DEUS, *Fes. 30. 21, 22.*) sed quod non erunt qui se hominibus, aut quos sibi homines, constituent duces & magistros: quia solum & unum magistrum, Christum, agnoscent omnes: (*Matt. 23. 10.*) Doctoribus autem loqui solenne erit Samaritanicum illud: *Non propter sermones tuos credimus, &c.*

5 *Datis Scholis universalibus* (h. e. introductâ Hominum Culturâ universali, ut datos Libros omnes legere & intelligere doceantur) *dabitur Lucis extensio ad omnes universim, ut omnes à maximo ad minimum cognoscant Dominum* (*Jer. 31. 34.*) *impleaturque Terra cognitione Jehovæ, sicut mare aquis opertum est* (*Jes. 11.*) *Non hîc jam erit infans* (*Jes. 65. 20.*) *sed pervenient omnes in unitatem fidei & agnitionem filii DEI, in Virum perfectum ad mensuram plenæ staturæ Christi; nec erunt amplius pueri.* (*Ephes. 4. 13, 14.*)

6 *Data Sapientum consociatione universali, non poterit Lux deficere, præcludeturque tenebris reductus:* tum quia *Lumen Universale tinget omnes;* tum quia



quia qui illud semper in plures spargant, deesse non poterunt. Ita se per omnium animos multiplicante luce ipsa, quomodo se fruges Terræ quotannis multiplicant: dum semen bonum ubicunque in terram projectum, mox alia plura ex se producit. Hoc est quod *Jes. 60.* prædicitur: *Aper-tæ erunt portæ ejus jugiter (v. 11.)* Item: *Non occidet sol tuus ultra, & Luna tua non minuetur: quia tibi Dominus erit in lucem sempiternam, cum complebuntur dies luctus tui. Populus tuus omnes erunt justis, &c. Minimus erit in mille; & parvulus in gentem fortissimam. Ego Jehova tempore suo accelerabo illud (v. 20, 21, 22. Vide & Jes. 33. 20, 21. & Jer. 30. 19, 20. & alibi.)*

7 *Datâ Lingua universali, eâque populorum usu receptâ, fiet Mundus universis ejus habitatoribus pervius: ut vel per omnia climata peregrinari, docereque & doceri, liceat si cuilibet, nullò amplius obstaculo.* Si enim se omnes mutuo intelligent, erunt omnes veluti gens una, populus unus, domus una, Scholaque DEI una. Ita demum patebit quid hoc sit, *Redigi totam Terram in Campestram (Zach. 14. 10.)* populumque profundioris sermonis quam ut intelligatur, & peregrinæ lingvæ in qua non est intelligentia (alii reddunt sapientia) non conspici amplius (*Jes. 66. 18. c. 33. 19.*) & *Reddi gentibus labium electum, & sic recolligi à dispersione Babylonicâ (Gen. 11. 1, 7, 8.) cum reedificare ceperit Jehova Sionem, & apparere in gloria sua. (Psal. 102. 16, 17, 19, 23.)*

8 Tunc enim ad hoc Sioni ortum lumen accurrent Gentes, ambulaturæ in lumine ejus (*Jes. 60. 1, 2, 3.*) Convertenturque ad Dominum omnes fines terræ (*Psal. 22. 28.*) Copia gentium accedent, ut densæ nubes convolabunt, & veluti columbæ ad fenestras suas (*Jes. 60. 5.*) Populi afferent filios suos in ulnis, & filias suas supra humeros portabunt (*Jes. 49. 22.*) omnes qui reliqui fuerint de universis gentibus pugnare contra Ierusalem solitis veniant, ut adorent Regem Dominum exercituum (*Zach. 14. 18, 20, 21.*)

9 Hoc visò Israëlita nunc ad quatuor mundi cardines dispersi, recolligent se quoque ut agnoscant tenebras suas: & prospicere incipient quærent & ipsi Jehovam Deum suum, & Davidem Regem suum, (*Os. 3.*) restaurabunturque & ipsi instauratione magnâ. Cujusmodi solennissimæ promissiones (de ultima generali solenni Judæorum restitutione) ubique in Scripturis exstant.

10 Tum fiet, ut abolitâ Monarchia Juteo ferreâ Lapis de monte abscissus occupet totam Terram: h. e. ut omnia Regna fiant Domini nostri & Christi ejus (*Dan. 2. 35, 45. Apoc. 11. 15.*) Non ut non sint Reges Terræ, & Populorum Principes (fore enim eos tunc etiam aperte colligitur ex *Psal.*



72. 11. & 102. 16, 23. & 138. 4. Ies. 49. 23. & 60. 3, 10, 11, 16, &c. & 62. 2. Apoc. 10. 11.) Sed ut non sint bestiae, alios dilaniantes ac devorantes; & belluæ aliis bella inferentes, & obvia quæque libidinis causâ proterentes, ac proculcantes; omnes verò simul *Leones mansueti, & in ordinem gregis Christi redacti* (Ies. 11. 7.) *Nutritii Ecclesiae* (Ies. 60. 11.) *Praefecti Pacis, & exactores Fustitiae; ne audiat amplius in Terra violentia, vastatio, aut contritio* (Ies. 60. 17, 18.) *Perdentur enim qui nunc perdunt terram.* (Apoc. 11. 18.)

II Ita regnabit Christus sine hostibus, qui hætenus in hostium medio regnabat: quemadmodum duas illas Regni ejus periodos apertè (*Psalms 110. v. 2. & 3.*) & Apostolus (*1 Cor. 15. v. 24. ad 49.*) docent. Nam tamen vulgò posteriorem illam periodum (de Regno super inimicos, in scabellum ejus factos) ad vitam æternam quam Judicium extremum inchoabit, extendant: Apostolus tamen ita id intelligi vetat, dum tempore illo evacuaturum iri usque ad eò omnem principatum & potestatem, prædicat, ut Filium quoque ipsum traditurum affirmet, Regnum DEO & Patri, ut sit DEUS omnia in omnibus (*v. 24. 28.*) Item, cum dicit (*v. 26.*) *Ultimum inimicum destruendum fore Mortem.* Reliquos igitur hostes ante Mortis destructionem, nempe in hac ipsa mortali vita, destrui oportet: *Ut Regna Mundi fiant Domini nostri & Christi ejus.* (Apoc. 11.) Atque hoc erit tempus illud, quò restituatur Israël (*Act. 1.*) Imò hoc erit *tempus restitutionis omnium.* (Act. 3. 21.) Quemadmodum præfiguratum fuit ante Legem, & sub Lege. Recepta enim est sententia *Mundo assignatum esse tempus triplex, Inane, Lex, Messias.* At verò quodlibet priorum duas habuit periodos: quidni & tertium? Ante Legem fuit Ecclesia, primò in medio impiorum Cainitarum pressa, tantum non oppressa. Illis tamen per diluvium deletis, libertati restituta fuit. *Lex rursus ab Abrahamo ad Moysen fuit non scripta, Ecclesia verò sub migratione perpetua, imò & sub pressura in Aegypto:* donec submerso Pharaone liberata Legem accepit, Jordanem trajecit, hostes devicit, & regnavit (quamquam ob intervenientia peccata subinde quoque castigata.) Ergò *sub Messia duplicem itidem experiri habet statum Ecclesia: alterum inter hostes vexata, uti hætenus; alterum super hostes regnans cum Christo, uti jam expectat.*

12 Unde sequetur, ut ipse quoque hostium dux & caput, Satan, captivus ducatur in triumphum. Quod ita fore divina prædicunt oracula, ut ligetur catenâ magnâ, includaturque tenebrarum suarum abyssu, ne seducere amplius queat Gentes, totos illos ultimæ ætatis mille annos. (Apoc. 20.) Quam catenam fore ipsam DEI nostri omnipotentiam, quâ furori Satanæ captivum.



strum injicietur credimus: si tamen intelligere etiam detur potentiae illius DEI externa media, & credamus fore *catenam Lucis & Veritatis*, sic articulatim in *catenae formam redactae*, ut *annulos hujus ne Satan quidem ipse solvere queat*, quid foret absurdi? Certè ille *catenis* aut *crassae ignorantiae*, aut *falsò dictae scientiae*, eoque errorum, Gentes hactenus *vincas tenebat*: quidni ergò jam *fulgidae Lucis & Veritatis nexus* illi ipsi *catena* fiant? quâ *ligatus* ille *intra suarum tenebrarum abyssum* se *continere*, nec *inde caput proferre*, *neesse* habeat. *Luce armatae Veritatis profectò insuperabilis vis est.*

13 *Atque tum erit Pax universalis Orbi Terrarum, sublati undique odii, & odiorum causis, dissidiis mutuis.* Non enim erit in quo *dissideant*, cum *easdem Veritates ante se clarè videbunt omnes.* Nec *Opinionum bivia ambiguum agent quenquam*, cum non ab *hominibus qui opinionibus dissident*, sed à *DEO qui veritas est, docti erunt omnes.* Et cum *unica illa sancta Sionis via*, à qua *ne stulti quidem deerrare possint*, in *conspectu erit omnium.* (*Jes. 35. 8.*) Et cum *indetur omnibus cor unum, & via una*, ut *timeant Dominum universi* (*Jes. 32. 39.*) Tunc *implebitur quod prædictum est, Conflaturas gentes gladios suos in vomeres, & lanceas suas in falces, & hastas in ligones: & non levaturam amplius gentem contra gentem gladium, nec se exercituros ad praelia* (*Jes. 2. 4. Mich. 4. 3.*) & *sessurum quemque sub vite sua, & sub ficu sua, nemine deterrente* (*Mich. 4. 4.*) Non enim *audietur amplius violentia.* (*Jes. 60. 18.*) Vide quoque *Jes. 65. 21, 22, 23, 25. & 66. 12, 13, 14.* & *passim apud Prophetas, ubicunque Principis pacis Christi regnum pacificum solenniter describitur.*

14 *Sic implebitur Christi de uno Ovili & uno Pastore promissio: convocatis ad gregis unitatem Leonibus etiam, & Lupis, & Ursis, & Pardalibus* (*cap. 11.*) *Eritque seculum verè aureum, plusquam Salomonicum: cum homines ad sanam reversi mentem belluinam dedissent vitam, vivereque incipient, & studebunt, ut homines, vitam rationalem, spiritualem, divinam.* Hoc modo *felix erit clausula omnium antegressarum calamitatum: abibitque fabula in veritatem, Phœnicem à conflagratione renasci pulchriorem: cum post tot funesta dissidia, quibus penè conflagravit Ecclesia, & Mundus, facies nova redibit candidior nive, &c.* Cum *ipsamet Ecclesia mirabitur deserta sua, solitudinesque ac ruinas suas, tam mirabiliter reparatas* (*Jes. 49. 19, &c.*)

15 *Hoc erit Sabbathum Ecclesia, septima mundi aetas: in qua post sex mille annorum continuos labores, sudores, luctas, clades, requiescere dabitur, antequam beata Aeternitatis Octava intonet.* Atque tum intelligemus



Petri verba, terminum Mundi hujus non aliâ notâ designantis, quàm quòd apud Dominum unus dies sint mille anni, & mille anni dies unus. 2 Petr. 3. 8. Nempe quemadmodum opus Creaturas formandi diebus sex peractum est, & septima superaddita dies quietis, ita formandi Ecclesiam opus sex mille annis processurum, septimum verò millenarium quietis, & contemplationis, benedictionisque & gaudii, additum iri. Ubi sabbathum ex sabbatho celebrabitur, ut veniens omnis caro adoret coram Domino. (Jes. 66. 23.) Benedictio autem habitabit in medio Terræ (Jes. 19. 24, 25.) Ubi enim Ecclesia tota cantabit, Ecce quàm bonum & quàm jucundum habitare fratres in unum, &c. Ibi Dominus mandabit benedictionem & vitam, usque in seculum (Psal. 133.)

16 Ita celebrabit Agnus nuptias suas cum Sponsa sua in horto suo, fluente aromatibus, dicens, *Veni in hortum meum soror mea sponsa! Miscui myrrham meam cum aromatibus meis. Comedi favum meum cum melle meo: & bibi vinum meum cum lacte meo. Comedite amici, & bibite, & inebriamini, &c.* (Cant. 4. & 5.)

17 Inebriari nos jam nunc dicet aliquis, aut somnare. Sed utinam qui sic inebriare parat amicos suos, & qui dilecto suo dat somnum (Psal. 127. 4.) torrente voluptatum suarum omnes homines sic jam inebriaret! (Psal. 36. 9, 10.) omnibusque ejusmodi somnia, quibus nihil nisi Christum, Cælum, communem salutem, mutuum dilectionem & ædificationem, illudque à misera peccati servitute Sabbathum somnient, immittere dignetur! Certè etiam Propheta, cum sub tristissimo Ecclesiæ statu amœnissima hæc illi prædiceret, somnare visus est, sibi & aliis: idedque addidit, *Quasi somno evigilavi, & ecce somnus meus dulcis mihi!* (Jer. 31. 23, 24, 25, 26.)

## C A P. XXI.

### *Res tam optatas in effectum deducendi requisita septem.*

**I** Am ergò quid ex sanctè desiderata universali illa Reformatione sequi posse spes sit, non ignari, *de consiliis in effectum deducendis merito suscipiendam existimabimus curam:* ut bonitatis DEI reperiamur administri.

2 Ad quam rem opus erit,

I. *Animo ingentis fiducia pleno.*

II. *Invocatione DEI ardentissima.*

III. *Industria & labore indefesso aliquam multorum sapientum Virorum.*

IV. *Favore*



IV. Favore Magnatum.

V. In laboribus Prudentiâ & ordine certo.

VI. Quicquid elaboratum fuerit usu mox alicubi inchoatione.

VII. Debinc autem prudenti & continuâ ab aliis in alios, ad desideratam usque Universalitatem, diductione.

De quibus singulis plusculum aliquid monebimus.

3 Et primùm quidem ad *Negotia magna opus esse animo magno*, & ratio dicat, ex exempla ipsius divinæ praxeos ostendunt. Plurimum enim prodest ad omnia negotia intrepidus animi vigor. *Nihil inexpugnabile audentibus, nihil satis munitum contra animosos*, inquit Plutarchus. Seneca verò: *Multum ad inventionem attulit, quisquis inveniri posse speravit*. Hinc DEUS ipse quoties ad extraordinarium aliquid illustre facinus certas vocabat personas, illisque consilii sui demandabat executionem, nihil æquè ac magnam fidem requirere, pusillanimitatem verò increpare, solitus fuit. Quemadmodum ex iis quæ circa vocationem *Mosis, Gedeonis, Jeremiæ, Apostolorum*, &c. gesta sunt, patet. Inde Christus res quascunquè verè bonas à DEO petentes, & quærentes, ad fiduciam erigens, *Credite tantùm*, inquit, *& fiet vobis: Omnia enim possible sunt credenti*.

4 Nos ergò in præsentī negotio (quod utique majus esse quàm nos qui id attentamus, lubenter agnoscimus) quæ in boni successûs fiduciam erigere possunt, hæc sunt. *Primò*, auxilii divini spes indubia. *Secundò*, bonorum hominum publicus, quem nobis pollicemur, favor. *Tertiò*, negotii ipsius, tam bono fundamento jam nixi, facilitas.

5 Quod primum attinet, totum hoc quod molimur, quantum quantum est, est res gloriam DEI & Regni ejus amplificationem concernens. De esse itaque huic tam parum posse credendus est DEUS, quàm negare seipsum: etiam si fortè hoc nobis extraordinariâ revelatione & mandato non instructis, in incerto sit, utrum nostrâ ope in effectum promotâ velit tanta desideria, an alios (nostro etiâ exemplo & monitis excitatos) negotio huic destinârit. Longè verò magis, si voluntatis suæ certa nobis indicia facere dignatur Deus. Utriusque habemus exempla in Davide, Salomone, aliisque sanctis. David operam suam DEO in erigendo Templo offerebat: sed quam curam filio Salomoni transignare jussus fuit. Nihilominus tamen moliri eum conceptum opus non prohibuit DEUS: approbatâ potiùs vehementer voluntate tam piâ, de colligendis necessariis ut sollicitissimus esset occasiones subministrabat. Quàm igitur certum est, *Res insigniter bonas aliunde venire non posse, quàm ab illo perenni fonte, unde omnium bonarum cogitationum & actionum rivuli fluunt*: tam certum est, DEUM opera sua deserere non



non solere, nisi deferantur ab illis, per quorum manus ea administrata voluit.

6 Cuicumque igitur sententia stat causam agere DEI, nec illi sermones pro DEO defunt, tam fortiter agat, licet, ut Elihu (*Job. 33. 6. & 36. 2.*) *Alibi humiles & modestos esse nos decet, in causa DEI animus requiritur firmus, & non cedens.* *Elizæus* promovendi gloriam DEI zelo ausus fuit petere duplum Spiritus Eliæ, rem sanè (vel ipsius Eliæ testimonio) magnam, & tamen obtinuit: *usque adeo nulla potest erga misericordiam DEI tanta esse fiducia, quin bonitas & potentia ejus exuberet.* *Nullas habet metas Divina humanis cooperans virtus.* *Sit qui invocet; erit qui exaudiat.* *Sit qui petat, erit qui det.* *Sit qui pulset, erit qui aperiat.* *Sit qui quærat, erit qui invenienda offerat.* Majora desiderantibus (dummodo illa secundum voluntatem ejus sint, gloriosa illi salutaria hominibus) majora negare non poterit, quia seipsum negare non potest. *Aperi tantum os tuum, & implebo illud,* inquit ipsemet (*Psal. 81. 11.*) Metuant ergo deferi fastuosi Babylonis ædificatores, qui sibi Cælum versus turres, invito DEO fabricant; non autem humiles Sionis structores. Nam in causam tam bona despondeant animos? Nihilne jam amplius verba illa: *Ite in Mundum universum prædicate omni creaturæ: Ego vobiscum sum usque ad consummationem seculi,* poterunt? Nempe quibus non solis Apostolis, in Mundum tunc exituris, præsentiam suam promisit, sed suis omnibus continuò, usque ad finem mundi. Ergò nobis etiam, in quos fines seculorum devenerunt.

7 *Sed nec est cur hominum favorem desperemus: quia quod agimus in nullius hominis fraudem, omnibus in bonum directum est.* Nempe nec Monarchiam aliquam humanam humanis consiliis machinamur, cui Reges & populi cervices subdere; nec Sectam aliquam in Philosophia vel Religione fundamus, à qua sibi reliquæ timere; nec ulla novas Opiniones aut mysteria jactamus, à quibus antiquitas præjudicium & contemptum expectare, necesse habeant. *Sed ut omnes homines sua bona nosse, usque in commune collatis communi gaudio uti-frui, velint.* *Et ut libertati suæ invicem insidiari desinentes, omnes sub Monarcha summo Christo, in libero ejus Regno liberè regnare incipiant.* *Destinant item in sectas scindi, & odia exercere; Artes potius, scientias, & mysteria, thesaurosque sapientiæ omnes, in commune habere animum ut inducant, eò elaborandum suademus.* *Non præscorum eà ratione industriam, inventa, laudes, quærentes elevare, sed coronare.* Illi enim altius ire non poterant, suo gradu constituti: nos possumus humeris illorum altius sublari. *Verbo, nostris inceptis nemini mortaliū vis paratur, nemini fucus: omnibus sua & aliena accuratius contemplandi lumen; suave retinere, an melioribus permutare*



mutare opera pretium putent, liberè dispiciendi arbitrium; quicquid denique usquam Veri & Boni est in communes usus transferendi, modus, offertur. Id ergò dum agimus, cujus mereamur Odium? Cur non omnium potiùs nobis communem favorem, auxilia, vota, polliceamur? Augere potest spem, quòd Mundum ataxiarum suarum non prorsus aded esse tenacem, quin admittat meliora si offerantur, hoc argumento cognoscimus, quòd quicquid offertur novum, commodum aliquod promittens, id sibi commendari patitur, etiam fucò aliquo velatum. Quidnì ergò si vera bona verè sibi ostendi, videat?

8 Tandem ab ipsà etiam negotii hujus facilitate, si cum DEO & ratione suscipiatur, spes bona concipi potest: tum quia plures idem jam agunt, & ipse Mundus sensim se in παλιγγενεσίαν disponit; tum quia consilia DEUS offert plana admodum, & pervia. Hæc inquam nullo modo periculosa, aut cuiquam invisà (quæ executionem aut occultam, aut subtilem, aut lubricam, aut difficilem & periculosam, requirant) sed quæ palpabili scopo palpabilia ostendunt & adaptant media, dum hæc esse patet, quid restare potest nisi velle, & invocato DEO manum admoveere?

9 Dixi namque (secundo loco) ardentissimà DEI invocatione opus esse: cum opus hoc tantum sit, ut nisi subveniat DEUS ipse, ipseque agat & peragat, frustra Mundus universus vires & sapientiam conferat. Orbis enim Terrarum illius est qui fundavit eum (Psal. 24.) Reformationem ejus DEO invito, aut inconsulto, aut non jubente, tentare quis audebit? orandus itaque est DEUS, ut ipse mittat Spiritum suum S. ex altis, ut corrigantur semitæ illorum qui in terris habitant, & quæ sibi placent ut homines edocti sapientiâ ferventur. Cujus rei quia habemus promissiones certas, propter Sion non tacendum est, & propter Hierusalem non quiescendum: donec prodeat ut splendor justitia ejus, & salus ejus ut lampas ardeat. Donec videant gentes justitiam DEI, & omnes Reges gloriam ejus. (Jes. 62. 1, 2, 7.)

10 Quia verò DEUS quod ordinariè agit, per ordinaria agit media, post invocatam caelestem opem Humana quoque circumspectari Auxilia oportet. Ubi vel primariò requiruntur Beseleles & Aholiabi: viri scilicet quos Dominus Spiritu intelligentiæ implevit, ad sapientiæ vias accuratè observandum, excogitandumque solerter quicquid affabrè fieri potest; & qui quod DEI munere possunt, & sciunt, velint etiam, laboribus tam sanctis pro gloria DEI, Ecclesiæque & humani generis salute; sese devovere totos. Quales si ubiubi Gentium videre est, tanquam cælitus submissos, exferoque digitò DEI monstratos (etiamsi non nominatim ut olim Beseleel & Aholiab vocati fuere, Exod. 31. 2.) agnosci, oportet.

M

II Et



11 Et quia opus est magnum, operas multas & diversas, tempusque spatiosum requirens: non ab unius alicujus solius viribus expectanda sunt omnia, sed *colligenda & seligenda complura Ingenia, Luci & Veritati, Pacique & Concordiæ universali indagandæ, fundandæ, propagandæ, nata apta*: demumque ab illis junctim, quod à nemine mortalium separatim potest, consummatum aliquid eo in genere expectandum: si manu admotâ serîo sanctas cum DEO operas urgere non desistant.

12 Et quia res hæc multis Librorum & Bibliothecarum, hominumque variorum auxiliis, & tempore multò, nec non superiorum auctoritate & protectione egebit, necessariò etiam eorum, qui DEI loco in terris sunt, & penes quos auctoritas est, rerumque gerendarum nervi, favor, benignaque liberalitas, requiruntur. Privati enim privato ausu, privatisque facultatibus, tantis in rebus quid poterunt? Hinc est quòd DEus quoties novo aliquo ornamento decorare voluit Ecclesiam, *Heroes excitabat. Ut Tabernaculo exstruendo Mosè, cum populi Principibus, liberalissimis spontaneis oblationibus opus sanctum fervidissimè promoventibus: Templo exædificando Davidem & Salomonem, Reges pientissimos & sapientissimos, architectos dedit: rursumque illi reædificando Zerobabæles, Cyros, Darios. Reformandæ item Religioni Josephatos, Josias, Machabæos*: transferendis verò sacris Libris ex Hebræo in Græcum (ut jam ante Christi adventum Ora culis divinis prænunciatus ejus adventus innotesceret) *Ptolomeos*: & sic alios ad alia. Tandem & ad ultimam hanc gentium ad Ecclesiam recollectionem promissit excitare Reges & Reginas, ut sint nutritii Ecclesiæ (Jes. 49.) Nec non alios, qui argentum suum, & aurum suum, conferent Domino in decorem Domus suæ (Jes. 60. 9.) Verbò, à Magnis ad magna animari & armari conveniens est, quibus agenda sunt magna: etiam si quandoque DEus magna opera sua per pusillos, & ab humano præsidio nudos, peragere soleat (si nemo sit qui operam suam offerat DEO) ut gloria ejus eò sit illustrior.

13 Quantum ad prudentiam, pars ejus præcipua erit ut hæc omnia (quæ sic in communes generis humani usus à quocunqve, & sub cujuscunqve auspiciis, directione, patrocínio, parantur) quantum potest in occulto agantur, sine strepitu & ostentatione mundana: qualiter DEus plerumque opera peragit sua, ut acta esse priùs quàm agi cæpta, pateat. *Jupiter ipse in fulmine* (ut homo gentilis loquitur) *ante ferit, quàm flamma micat.* Sol etiam tacitè oritur: nec Arbores dum crescunt strepitum edunt. Et Regnum DEI non venit cum observatione, inquit Christus. Imitentur ergò Scientiarum instauratores Christum, qui fecit priùs quàm docuit: & qui non contendebat, neque clamabat, neque audita fuit in plateis vox ejus; donec proferret judicium ad victoriam.



*victoriam.* Quod si parum observavimus ante, observandum erit eò accuratius posthac: ut ne hæc quidem præsens (sub viæ Lucis nomine) deliberatio innotescat, præter solos illos qui in consiliorum partem adsciscuntur. Ideò maximè, quia meletemata hæc inchoata solùm; tantæ rei rudimenta prima, publico theatro indigna adhuc sunt.

14 *Deinde, acturis hæc opera erit danda, ut quod tanquam commune bonum agunt, non solùm in se tale sit, sed nec cuiquam aliter, (si innotescant molimina, nec enim latere semper poterunt) videri possit.* Tam scilicet directè scopus communis salutis proponendus, tamque conditionibus æquis omnia ad illum disponenda & urgenda erunt, ut totum quod hîc agitur sine omnium hominum præjudicio esse appareat: ut ne ipsa quidem iniquitas quod carpat inveniat.

15 *Tertia prudentia pars erit, ut quicumque in elaborandis sapientiæ diffundenda instrumentis operam conferre voluerint, Apes potiùs imitentur & Formicas, quàm Muscas & Araneas:* quarum illæ & istæ in commune laborant, hæc in vagum, quâlibet suæ privatim venationi intentâ. Collegialiter itaque potiùs agant Viri docti, publicorum profectuum avidi, quàm dispersim: aut certè cum respectu perpetuo ad se invicem, & operas suas. Nempe quia amoliendis tot & tantis illis *Sisyphæis saxis*, quibus ubique adhuc obviis molestè, & frustra genus Humanu fatigatur, plurium conjunctæ requiruntur vires; jungantur ergò. Et quia quod semel positum est moveri, denuòque turbari, non oportet; attendant ergò alii ad alios: ut nemo factis, sed faciendis, operam suam occupet; donec jam huic jam illi saxo suus quieti commodus locus repertus; jam hic, jam ille clivus superatus; jam hæc, jam illæ salebræ sublatio; jam hæc, jam illa confusio in ordinem redacta fuerit. Et quicquid sic feliciter à quocunque expeditum fuerit, adjiciatur peractorum cumulo, ut à nemine actum agi necessum sit, sed agendis & perficiendis tantùm omnium & singulorum invigilet industria.

16 *Quartò, in constituendis Reformationis universæ mediis, bonum erit servari ordinem illum quem posuimus;* ut ante omnia Methodi beneficio reformentur *Libri*; mox Librorum beneficio *Schola*; dehinc *Scholarum universales Ephori* collegialiter jungendi; tandem constituenda *Lingva universalis.*

17 *Quantum ad Librorum elaborationem, incipiendum erit vel ab illis qui majoris, vel ab illis qui celerioris usus sunt.* Si priùs placeat, *Pansophia* erit  $\alpha$  &  $\omega$ ; quia dum quicquid sciri potest, ac debet, in ordinem verum lucidum, perpetuumque digerit, eò ipso & sibi & aliis Libris metas ponit,



limites circumſcribit, meſuras miniſtrat, amabilitatem (ut finis mediis ſolet) conciliat. Si verò priùs agenda ſunt illa, quorum praxis inchoari poſſit priùs, *incipiendum erit à Libellis infimis, Infantia & Pueritia humane formativis.* Ita enim à fundamentis procedi poterit, per incrementa, ad ſaſtigia: à præcognitione rerum generali & confuſa, per experimenta particularia & certa, ad intellectum abstractum: h. e. ab Eruditione, per Experimentiam, ad Sapientiam. Quamquam quia omnium ad omnia plenus eſſe debet reſpectus, vix quidquam eorum perfici poterit ſine aliis: *conſiliumque tandem videretur optimum, nihil in publicum emitti, niſi omnibus ad propoſitam plenitudinem, æquilibrium, harmoniamque reductis.*

18 De Lingva univerſali peculiariter monenda ſunt duo. Primum, ut ne conſtitui tentetur ante Panſophiam abſolutam, ſaltem in rerum generibus, Ideis, & proprietatibus, rectè deprehenſis. Nec enim realis niſi rebus undiqve parallelè adaptata, eſſe poterit; nec verò adaptari, niſi poſtquam rerum omnium baſes, ad invicem ordo, ligamentaque mutua, examuſſim patuerint. Secundò, ut nemo ſolus unus eam excogitare tentet: ſed curam hanc Collegio ſapientum relinqvat. Poſſet alioqui fieri, ut tam elegantis rei deſiderio plures ingenioli eam aggrediantur, atque tum impoſſibile erit, quin hoc & illud aliis aliter videatur. Quodſi quilibet ſuis inventis inſiſtere vellet, *pro una nova Lingva plures habebimus, confuſionemque non tollemus, ſed augebimus.* Cogitare quidem plures quicquid ad rem hanc facit nihil prohibet, modo nihil in re toti Mundo communi decretoriè agant: ſed quicquid utile inciderit (ſeu ex toto, ſeu ex parte) conſignent, communi que tandem determinationi (quæ ſuo tempore fiet) relinqvant.

19 Dixi etiam Reformationis initium eſſe faciendum verum & reale, ubi ubi locorum, tam Librorum, quam Scholarum & Collegii reſpectu. Non enim ſemper de agendo conſultandum, agendum etiam eſt, tamèſi initio non omnia exquiliſita eſſe poſſint: *Satiùs eſt deficere in quibusdam, quam intermittere omnia.* Nam primò & Natura, & naturæ imitatrix Ars, & corruptæ naturæ reformatrix Gratia, quamquam opera perfectà intendunt, à rudimentis tamen ſemper incipiunt: quia rebus quæ ſiunt aliter non evenit, quam ut à principiis ſurgant, & per incrementa ad perfectionem ſuam ſe elevent. Incendium omne à ſcintilla incipit, tum occupat fomitem, mox trabes, dein domum, dehinc vicum, tandem urbem. Chriſtus autem Dominus noſter Doctrinam ſuam Igni comparavit: ſpargereque eam cepit primum inter ſuos, in Apoſtolorum Collegio: tum eos quæ audiffent in tenebris, dicere juſſit in lumine, & quod in aurem, prædicare ſuper tecta (*Matt. 10. 27.*) Deinde *Conſilium qui dat, exemplo potiùs dare debet quam verbo;*



verbo; aut certè non verbo sine exemplo: alioquin erit inutile. Cùmque sic quod aliis svadet ipse facit, non solum apud alios fidem facilius & meretur & invenit, imitationemque promptius impetrat: sed & consilia sua perficiendi occasionem nanciscitur. DEO quippe soli proprium est, ad prævistas ab aeterno Ideas perfecta edere Opera: (ideòque de solo illo dici potuit, *Et vidit cuncta quæ fecerat, & ecce fuerunt valdè bona*, Gen. I. 31.) Homo dum agit, discit: quia tum ideas, tum ideata sua, non nisi gradatim & incipit & perficit: Tentent ergò Reformatores consiliorum suorum praxin ipsi primi: atque si procedere videbunt infallibiliter, tutius eam commendare poterunt Mundo; sin, emendare ac perficere. Medicamenta nova nemo facilè admittit: admittit non invitus, si consvetum elogium adsit, *Probatum est*.

20 Ergò Libri didactici quicunque elaborantur, mox ad usum adhibeantur; ut num revera facilius quàm hæctenus scientiam instillent, reipsa pateat. Atque si experimentum in uno & altero procedet, incipiat eorundem usus publicus in Schola aliqua publica: tum in Scholis pluribus, &c. Tale hoc praxeos & usus initium meritò apud illos stet, apud quos, & quorum ope, hæc Eruditionis subsidia parata fuerint: Tum quia ordinata charitas à se ipsa incipit, tum ad fiduciam addendam imitaturis: & denique quia justum est, ut qui sementis faciunt primitias, primitias colligant messis.

21 Similiter Collegium Lucis inchoari poterit ab uno & altero, mysterii Lucis conscio: non ut sibi aliquid præ aliis sumant, sed ut aliis exemplum monstrant. Initium enim ab aliquibus faciendum est: cùm & numerus omnis, in quamcunque multitudinem diffundendus, ab Unitate incipiat, & per Binarium ad Ternarium ascendat, & sic consequenter: qualibet unitate, sui & totius respectu æqualem perfectionem obtinente. Collegium ergò hoc Universale vel ipsi Librorum Universalium Elaboratores, cum Promotoribus & Patronis suis, repræsantare poterunt, donec DEUS formaliter illud constituendi, legibusque colligandi, subministraverit occasiones.

22 Rebus sic ex voto uno aliquo in loco, Domo, Urbe, Gente, constitutis, proximum erit de lumine hoc quæquæ versum extendendo cogitare. Lucis quippe hæc Natura est, ut se diffundat: imò omnis boni naturæ sui communicativa est. Hinc Christus, quanquam se primariò ad domum Israël missum esse diceret, eoque Legatos suos primum emissos in vias Gentium abire, & in civitates Samaritanorum intrare, prohiberet (Matt. 10. 5:) postea tamen & Samaritanis prædicavit, prædicarique jussit, & ire in univèrsam Mundum, ac prædicare Evangelium omni creaturæ. Quod observantes Apostoli, debitores se esse & Græcis & Barbaris, sapientibus & insipientibus dictitabant, & de gente in gentem transeundo prædicare Christum gaudebant.



Sed & ipse Gentilis Seneca, se idè discere, ut transfunderet in alios, contestatus est: negans se velle sapientiam, si eà conditione detur ut eam sibi servaret, nec communicaret. Quam boni naturam si etiam qui fucata bona possident, imitantur (ut qui sectas fundant) quidn̄ illi quibus DEus veros veræ Lucis radios, eosque quâqua versum reflectendi modos, revelat?

23 *Quomodo autem? Ordine utique aliquo.* Nempe quemadmodum Christus turbam ingentem saturaturus, jussit primò ut per areolas discumbere centeni: & tum panes fragendo distribuens, discipulis dabat; hi autem sibi proximis, & illi rursum aliis, donec nemo superesset tam remotus, cui non sua obtingeret portio: ita faciendum hîc videtur. *Reformet quisque ad Lumen DEI primò seipsum; tum suos, ut sibi proximis; mox alii alios invitent, non nimium distantes* (ex. gr. ejusdem Religionis consortes:) *tum alios distantiores* (quemadmodum Simon & Andreas socios, qui erant in proxima navi, ad felicitis capturæ participationem invitarunt) *donec omnes Christiani redigantur in consensum & harmoniam; potenter demum oppugnaturi densiores illas extra Ecclesiam tenebras.* Atque tum offerenda erit hæc Lux DEI ante oculos *Mahumedanis*, utpote nobis præ Judæis & Paganis vicinioribus: quippe qui Christum Prophetæ nomine agnoscunt, & venerantur. Hinc *ad Gentes Paganas* ibitur: quæ quia Christum ignorant, tantum ab ejus odio quantum ab amore absunt. Ultimi erunt professi ejus hostes, Judæi; quos ipsâ Gentium conversarum plenitudine ad zelum iri concitatum Scriptura prænunciat: ut circulus misericordiæ DEI à quibus orsus, in eosdem definat.

24 *Si quæretur, ad Gentes barbaras, quarum Lingvas ignoramus, quomodo penetrabimus? Veritatis lucem quomodo illis ostendemus? Apostoli securam habebant clavem, aures & corda hominum referantem binam, Lingvarum donum, & Miraculorum potestatem: quid nos? Resp.* Si nobis non deerit animus serviendi Christo ad amplificandum ejus Regnum, non deerunt Christo media & modi, quibus servis suis fidem faciat: sicut scriptum est, *Illi profecti prædicaverunt ubique, Domino cooperante & sermonem eorum confirmante subsequenter signis.* Ad referendum, inquam, humanos sensus, sat clavis nobis erit, deprehensa *Principiorum cognoscendi Naturæ, Scripturæ, omnisque humanæ Conscientiæ, PANHARMONIA*; ad perstringendum fulgoris instar mentis oculos, captivandosque sub veritatis obsequium sensus omnes, per se satis potens, si per satis claram lucem in conspectu ponatur omnium hominum.

25 *Sed quomodo poterit Mentibus, quarum ignoramus Lingvas? Resp.* Reddet Dominus, speramus, labium unum omnibus, ut nos intelligamus omnes:

*labium*



labium dico illud electum quod mediantibus Rebus ipsis facile doceri queant Omnes. Quod si tamen ad dandum Barbaris Sapientiæ harmonicæ gustum primum vulgarium Lingvarum usu aliquo opus est, discant nostratum aliqui per commercia externa cum Barbaris Lingvas eorum. Aut si gentes illæ sub potestate nostra sunt, assumantur pueri illorum, loqui jam gnari, quàm maximo numero, doceanturque Linguam nostram, & Rerum harmonias: confirmatique dimittantur, Gentis suæ futuri Apostoli.

26 Datur tamen etiam aliud medium: ut præteritis etiam Lingvis minorum Gentium, Lingua nova cum Rebus doceatur per Lingvas communiores, pluribus gentibus receptas. Ut est per Europam Latinam, per Asiam & Africam Arabicam. Quod enim Latine scribitur, omnium Europæarum gentium homines intelligere, & si operæ videtur pretium in suas Lingvas transferre, possunt. Similiter quod Arabicè scriptum, Asiani omnes penè, Africani complures populi. Ipsa Janua Rerum (sive Metaphysica Panosophica) ad veras universalis Harmoniæ leges constituta, & in omnibus lingvis sic edita, ut pagina pagina, linea linea, verbum verbo respondeat, infundibulum esse poterit, quo & Lingua quævis beneficio cuiusvis addisci, & Lingvæ novæ fundamentum cum Rerum ipsarum fundamento percipi possint.

27 Dicit quis, Operosum id videtur: Resp. Videtur magis quàm est, si ratione rem aggrediamur urgeamusque serio. Sed & quamvis sit magnæ prorsus molis: longè tamen majus est quæsitum inde bonum, ut adducantur fratres nostri Domino, de cunctis Gentibus (Jes. 66. 20.) Fratres inquam nostri, pro quibus animas etiam nostras, nedum laboris aliquid, ponere debemus (1 Joh. 3. 16.)

28 Media proportionata esse oportet fini suo; nec ut magnum aliquid parvo constet, requirendum. Messis multa operarios postulat multos, falces multas, horrea multa, tempus etiam justum. Sit ergò ultima hæc mundi Messis (Gentium omnium in Ecclesiæ horreum collectio) multa: si tamen operarii, Collegæ Lucis, multi quoque fuerint, & zelotæ, & multæ acutæque in manu eorum (instrumentorum harmonicorum) falces, & debita cujusque loco suo diligentia, fieri poterit ope DEI, quod tempore messis frumentæ Regionibus fieri videmus: ut intra paucos dies demessos videre sit campos, & referta horrea, & expleta Agricolæ desideria. Et quemadmodum in Urbe magna, si ante solemnitatem aliquam quisque Pater familiæ suam domum, & ad eam spectantem plateæ partem, everri curet, eadem die tota Urbs expurgata & nitens spectari solet: Ita si quisque lumine divino tinctus inter suos, & proximos, officium faciat, quod nunc videre nusquam est, aut vix ubique incipiet conspici, *deserta mutata in hortos DEI*, quemadmodum divina prædicunt oracula.

CAP.



## CAP. XXII.

*Ad Patrem luminum pro ultima Humani generis illuminatione vota.*

**A**D te, ò Pater Luminum, tandem conversi omnes humillimè oramus, miserere Omnium nostrùm! Illumina lucernam nostram, illumina tenebras nostras! (*Psal.* 18. 29.)

Tenebræ enim hucusque operiunt Terram, & caligo populos: Sed tu exorere super Jerusalem, ò Jehova, ut videatur gloria tua! (*Jes.* 60. 1, 2.) Terra per se ut ab initio, ita nunc & semper, nihil est nisi res vacua & inanis, tenebrarum receptaculum perpetuum. Sed tu qui dixisti, *Fiat Lux, & facta fuit Lux*: jube nunc quoque è tenebris splendescere Lumen in cordibus nostris (*2 Cor.* 4. 6.) Viximus eatenus in luce crepera, quæ propter Tenebrarum mixturam neque dies est, neque nox. Fac jam quod promissisti, ut *sub Mundi vesperam fiat Lux* (*Zach.* 14. 7.) ò exoriatur nobis dies, quæ occasum nesciat! & Lux, in quam nihil juris sit Tenebrarum regno! & à cujus fulgore ipse Tenebrarum Princeps trepidans fugiat in abyssum suam!

O Pater Spirituum, ò Deus omnis carnis, Cujus oculi sunt super omnes filios Adam, qui vides cæcitatem nostram miserere nostri! ut videamus nos te quoque, à quo, per quem, & in quo sunt omnia, nos etiam. O inveniant Te, quem omnes quærent, etiam qui quærerere nesciunt! ò Lux invisibilis, tribue nobis visum qui te videat! ò Lumen æternum, collustra mentes nostras ad æternitatis consortium creatas, ut te intelligant & diligant: Num enim Tenebræ laudabunt Te, lux æterna? ò exporrigere, exporrigere radios tuos, & potenter discute omnes caligines nostras! ut cæcutire, oberrare, palpere, in scrobes ruere, desinant quos ad participationem Lucis & vitæ creasti. Si non creasses nos Domine, non essemus: cur igitur quos ad vitam creasti, ad interitum relabi pateris? Oculi tui millies lucidiores sunt sole, intuentes etiam profundum abyssi: cur ergò nobis, quos ad imaginem Tui creasti, non etiam oculos das lucidos, qui etiam nihil itatis suæ in seipsis abyssum, in Te autem essentiæ suæ fontem, videant? O Verbum quod ab initio dixisti, *Fiat Lux*, edic nunc etiam *Fiat Lux*! & facta erit Lux.

Ad Te clamat Mundus senescens, ut qui illuminabas Juventutem suam, ne despicias senectutem suam! sed jubilarè facias ossa sua, & reviviscere ut



Aquilæ juventutem suam. O DEUS omnium populorum, da omnibus populis agnoscere Vocem tubæ tuæ, & ambulare in Lumine tuo, (*Psal. 89. 15, 16.*) O Pater noster qui es in Cælis, sanctificetur Nomen tuum jam in toto Mundo! Adveniat jam Regnum tuum toti Mundo! Fiat jam Voluntas tua, sicut in toto Cælo ita in tota Terra! Per totam ó Domine Europam, per totam Asiam, per totam Africam, per totam Americam, per totam Magellanicam, perque omnes Insulas maris, sanctificetur Nomen Tuum, adveniat Regnum tuum, fiat Voluntas tua! Imple ó DEUS Terram cognitione tui, sicut mare aquis oppletum est, ut Tibi jubilet tota Terra. Excita homines qui Voluntatem tuam scribant in *Libros*: sed quos Tu ipse inscribas cordibus hominum. Fac ut ubique gentium aperiantur *Schola*, filiorum Tuorum enutritoria! Et ipse tu erige Scholam tuam in cordibus omnium hominum. Excita Spiritum Sapientum toto Orbe, ut conspirent in laudem Tuam: sed ipse tu Præsidem age chori electorum Tuorum! Redde populis *Labium* electum, ut Te celebremus ore uno! ipseque nos doce per interiora alloquia Tua!

O Lux Mundi Jesu Christe sine quo omnia sunt tenebræ, illumina Mundum! ó Vita mundi, sine qua omnia sunt mortua, vivifica Mundum! ó via, sine qua omnia sunt invia, aut devia, deduc omnia quæ aberrant à Te, per Te, ad Te, in beatam æternitatem tuam! Ah Domine, si ex nobis ad Te clamantibus, quemadmodum ex Bartimæo quæris, *Quid vultis ut faciam vobis?* millies ingeminabimus hoc unum, *Ut videamus.* Nubes enim magnæ & tenebrôsæ infinitarum ignorantiarum, errorum, vanitatum, obtenebrant oculos Mundi, ut Te Veritatis & Justitiæ solem videre nequeant, Tenebris involuti suis: quas & amant, & illis liberari recusant, quia lucem non agnoscunt. Intona igitur, ó Domine, & emitte fulgura tua! ut Lux tua potenter circumfulgeat omnes Saulos, ut Pauli facti eant in nomine Tuo ad populos & gentes, aperire oculos eorum, ut convertantur à tenebris ad Lucem, & de potestate Satanæ ad DEum vivum; ut accipiant remissionem peccatorum, & sortem inter sanctos, per fidem quæ est in Te (*Act. 26.*) ó Domine Jesu, fac ita sit, quemadmodum pronunciavit de Te Pater! *Parum sit te unius & alterius Gentis Reparatorem esse; Lucem gentium constitui Te, ut sis salus DEI usque ad extremum Terræ* (*Jes. 49. 6.*) Emitte Angelum cum Evangelio æterno, quod evangelizetur omni genti, & tribui, & Lingvæ & populo. (*Apoc. 14. 6.*) ó Domine qui dixisti, *Sinite parvulos venire ad me, & ne prohibete eos!* Nos te per viscera misericordiæ tuæ oramus, ut tu ipse finas venire ad te parvulos Orbis totius (*Marc. 10. 9.*) Et ne tibi prohibeas adduci filios gentium à finibus Terræ, in gloriam tibi ó DEUS

N

Zebaoth,



Zebaoth, in ornamentum sanctæ Civitatis Tuæ Jerusalem! (*Jes. 60.9.*) Atque si qui sint (sive ex Phariseis, sive ex discipulis Tuis) qui prohibeant, increpa eos! & ne prohibere queant id, quod gloriam tuam, & Mundi salutem concernit, Tu ipse, ó Mundi salvator, effice! (*Matt. 21.16.*) Soliti sunt Te rogare Dæmones, hostes tui, ne sibi imperares abire in abyssum: & tu illis permittebas ingredi porcos (*Luc. 8.31.*) Nos autem servi Tui oramus, ut eos jam conjici jubeas in abyssum; abyssumque super eos occludi & obsignari, ut seducere amplius nequeant gentes (*Apoc. 20.*) Quod si ramen adhuc ingredi porcos Mundi hujus permittis, ut se furore suo in exitium agant ipsi, fiant Domine judicia tua, quæ & ipsa sunt abyssus: modò ut homines à potestate Satanæ, quos nunc captivos tenet ad voluntatem suam, liberentur omnes jam. Ut jam tota domus Mundi impleatur fumo & luce gloriæ Tuæ! perque universam Terram cum myriadibus circumstantium Majestatis tuæ thronum, alter ad alterum clament, *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus DEus Zebaoth! Plena est omnis Terra gloria ejus.* (*Jes. 6.3,4.*) ó fiat, fiat, sancte DEus, Fiat! *Amen! Amen! Amen.*

Sit nomen Domini benedictum ex hoc nunc, & usque in seculum. A Solis ortu usque in occasum laudabile nomen Domini. *Psal. 113. v. 2. 3.*

**F I N I S.**

**Index**



## Index Capitum hoc Libello contentorum.

- I. **M**undum Sapientie Dei Scholam esse, Pag. 1.
- II. Scholam Mundi hominum culpâ valdè confusam esse, Pag. 4.
- III. Confusionibus humanis remedia, quàm variè quæsitâ, nullum tamen satis validum hucusque repertum. Pag. 6.
- IV. Confusionibus humanis tollendis, an supersit remedium? & quare id esse oporteat? Pag. 9.
- V. Confusionum humanarum tenebris, nullum efficacius remedium dari posse, Luce aliquâ Universalî. Pag. 13.
- VI. Lucis Universalis ante finem Mundi spem esse indubiam. Pag. 14.
- VII. Lucis Universalis tempora si appropinquare credimus, Vias quoque ejus scrutari tenemur. Pag. 20.
- VIII. Lux quid, & quotuplex? Tenebræ item Luci oppositæ quid, & quotuplices? Pag. 22.
- IX. Lucis & Tenebrarum Lucta perpetua, incrementaque & decrementa per vices, ad Lucis usque victoriam & triumphum. Pag. 25.
- X. De viis Lucis quibus se naturaliter effundit & diffundit. Pag. 27.
- XI. Quibus viis Tenebræ se Luci offundunt. Pag. 36.
- XII. Quomodo viæ Lucis ad Tenebras efficaciter undique potenter pellendum complicari, & ritè applicari possint ac debeant? Pag. 38.
- XIII. Lucis Intellectualis per Mentis hominum Spargendæ viam, divinitus ostensam, hucusque observari sextuplicem: septimam autem superesse, prorsus universalem. Pag. 43.
- XIV. UNIVERSALIS LUCIS VIÆ, Finis trinus, (ut in ea Omnia, Omnibus, Omnino, videri possint) plenius explicatur. Pag. 49.
- XV. VIÆ LUCIS universalis requisita quatuor: Libri universales: Scholæ universales: Collegium universale: Lingua universalis. Pag. 58.
- XVI. LIBRORUM Universalium ratio & methodus. Pag. 61.
- XVII. Scholarum universalium modus. Pag. 68.
- XVIII. Collegii universalis forma. Pag. 70.
- XIX. Lingvæ Universalis ratio. Pag. 74.
- XX. Status Mundi ex ita constitutis rebus qualis sperari possit? Pag. 81.
- XXI. Res tam optatas in effectum deducendi requisita septem. p. 86.
- XXII. Ad Patrem luminum pro ultima Humani generis illuminatione, vota. Pag. 96.



### Errata Typographica.

Pag. 1. §. 3. lin. 4. intrudendi. p. 2. §. 7. l. 19. visibiles. p. 3. §. 11. l. 5. eum.  
 p. 4. §. 5. l. 2. Apostolus. p. 6. §. 2. l. 3. corde. p. 7. §. 6. l. 6. dolorem, & lin. 7. id. p. 8.  
 §. 13. l. 4. deleatur in & lin. 9. libertatem. §. 14. l. 2. aliquod. p. 11. §. 9. l. 1. quippe. &  
 §. 12. l. 10. quæ. p. 12. §. 14. l. 8. illuminat omnem hominem venientem & §. 15. l. 4.  
 funes. p. 15. §. 3. l. 6. Mechanicis. p. 16. §. 8. l. 4. quum. p. 23. §. 6. l. 4. inanis.  
 p. 29. §. 1. l. 3. speculo. p. 31. §. 11. l. 2. Spharam. p. 35. §. 38. l. 2. coeant. item in  
 unum. & §. 42. l. 4. nisi. p. 38. §. 9. l. 1. redeunte. p. 40. probl. 7. l. 3. motus. & probl. 10. l. 3.  
 cogit. p. 41. §. 13. l. 5. incipiant. p. 44. §. 4. l. 4. alius. p. 45. §. 7. l. 4. appropinqvarent.  
 p. 50. §. 7. l. 8. Creaturarum. p. 51. §. 14. l. 5. diligimus. p. 60. §. 9. l. 12. Collyrium.  
 & §. 10. l. 8. Virgineo. p. 65. §. 16. l. 1. Mel. p. 66. §. 2. l. 2. aut. p. 71. §. 4. l. 2. qui  
 & §. 7. l. 4. dispersa. p. 72. §. 8. lin. 10. universale. p. 73. §. 11. lin. 7. divina. p. 76.  
 §. 10. l. 5. operosa. p. 79. §. 17. l. ultima, illustri modo. p. 81. §. 1. lin. 4. eventuum.  
 & §. . . l. 9. quæ. p. 83. §. 8. l. 6. venient. & §. 10. l. 1. luteoferrea. p. 91. §. 15. lin. 8.  
 humanum. l. 13. sublata.

XVIII. UNIVERSALIS LUCIS VITÆ, Trinitatis. (in in ca  
 Gaudia Omnia, videri possunt) plures explicationes. p. 42.  
 XIX. VITÆ LUCIS universales, Trinitatis. Trinitatis. Trinitatis.  
 in: Sebebe universales: Collegium universales: Lingua univer  
 sals. Pag. 78.  
 XX. TIBORUM Universales ratio & methodus. Pag. 61.  
 XXI. Sebebe ratio salutaris methodus. Pag. 68.  
 XXII. Collegium universale forma. Pag. 70.  
 XXIII. Lingua Universalis ratio. Pag. 74.  
 XXIV. Sebebe in consistens in rebus quibus sebebe possit. Pag. 81.  
 XXV. Sebebe in consistens in rebus quibus sebebe possit. Pag. 86.  
 XXVI. Sebebe in consistens in rebus quibus sebebe possit. Pag. 86.  
 XXVII. Sebebe in consistens in rebus quibus sebebe possit. Pag. 86.



11  
12  
13  
14  
15  
16  
17  
18  
19  
20  
21  
22  
23  
24  
25  
26  
27  
28  
29  
30  
31  
32  
33  
34  
35  
36  
37  
38  
39  
40  
41  
42  
43  
44  
45  
46  
47  
48  
49  
50  
51  
52  
53  
54  
55  
56  
57  
58  
59  
60  
61  
62  
63  
64  
65  
66  
67  
68  
69  
70  
71  
72  
73  
74  
75  
76  
77  
78  
79  
80  
81  
82  
83  
84  
85  
86  
87  
88  
89  
90  
91  
92  
93  
94  
95  
96  
97  
98  
99  
100



